

Heliogr. i druk. „Sztuka" Kraków

STROMATA IN HONOREM CASIMIRI MORAWSKI



STROMATA IN HONOREM CASIMIRI MORAWSKI

STROMATA IN HONOREM CASIMIRI MORAWSKI

CRACOVIÆ MCMVIII

TYPIS UNIVERSITATIS JAGELLONICAE
Provisore Joseph Filipowski.

CASIMIRO MORAWSKI
MAGISTERII FRVCTVOSISSIMI
IN ALMA VNIVERSITATE
JAGELLONICA
TRICESIMVM ANNVM PERAGENTI
DISCIPVLI ET COLLEGÆ
OPTIMA FVTVRORVM
PRECANTVR AVSPICIA

Apparatus Pseudocyprianei supplementum.

Scripsit

Ioannes Sajdak.

In bibliotheca Iagellonica Cracoviensi asservatur codex miscellaneus, membranaceus n. 1196 saec. XIV variis manibus scriptus, qui praeter tractatus theologicos Anselmi Cantuariensis archiepiscopi et magistri Henrici de Firmaria librum Pseudocypriani De duodecim abusivis saeculi (p. 81—91) continet[1]. Quem tractatum in

[1] Cf. p. 78: Explicit liber Venerabilis Anselmi, Cantuariensis archiepi, De similitudinibus; p. 91: Explicitur liber beati Cypriani De duodecim abusionibus huius seculi peccantis. Incipit liber beati Anselmi De conceptu virginali; p. 112: Incipit liber Anselmi De tribus illis questionibus, in quibus dei presciencie atque predestinacioni nec non et gracie liberum arbitrium repugnare videtur; p. 138: Incipit liber Anselmi De incarnacione verbi; p. 155: Monologyon beati Anselmi, epi; p. 202: Incipit epistola eiusdem De sacramentis; p. 204: Incipit liber mgri Henrici de Firmaria, dris s. theologie, ordinis fratrum Heremitarum, De decem preceptis; p. 293: Anselmus Cur deus homo; p. 344: Explicit liber Anselmi Cur deus homo. In ultima membrana exstat scriptum litteris consignatum die 3 mensis Junij a. 1368. Cf. W. Wisłocki: Catalog. codd. mss. Bibl. Univ. Jag., Cracoviae 1877—1881, p. 302.

Corporis scriptorum ecclesiasticorum latinorum vol. III parte III (Vindobonae 1871) pagg. 152—173 inter Cypriani spurios libellos G. Hartel edidit textu ad fidem codicis G[1] constituto. Cum vero Ioannes de Soden in opusculo de Cypriani codicum origine ac nexu luculente conscripto [1] librum Cracoviensem manu scriptum, quem litteris Cr insignire liceat, omisisset, occasione data eundem excutere non alienum putavi [2]. Nam si viri docti novam Cypriani editionem certo sperant, hanc quoque descriptionem fortasse non supervacuam habebit futurus editor, qui historiam et condicionem librorum melius, quam antea fieri potuit, illustrare aggredietur. Atque codicis varias lectiones ita propositurus sum, ut mendorum turba [3] neglecta primum lectiones a textu Harteliano dissentientes enumerem et eas cum lectionibus codicum, quos Hartelius in usum suum convertit, comparem, deinde scripturae discrepantiam proferam, quae in solo codice Cracoviensi occurrere et maximam

---

[1] Hans Freiherr von Soden: Die Cyprianische Briefsammlung, Geschichte ihrer Entstehung u. Überlieferung, Leipzig 1904. Codices, qui tractatum De duodecim abusivis saeculi exhibent, enumerantur p. 223 sq.

[2] In bibliotheca Iagellonica exstat alter Cypriani codex, librum dico chartaceum n. 1210, in quo pagg. 448—664 epistulae Cypriani cum indicibus alia manu adscriptis inveniuntur. Pag. 451 legitur inscriptio: Incipit Cyprianus ad Donatum, subscribitur autem: Finite sunt Epistole Cypriani a. d. 1435. Indiccione XIII die vero 9 mensis Septembris etc., per me Conradum Syfridj, deo gracias, Basilee. Cf. W. Wisłocki l. l. p. 306. Quem codicem Dr. Iosephus Korzeniowski, bibliothecae Iagellonicae custos, in usum Sodeni contulit.

[3] Plurima verba idem librarius in rasura exaravit, nam scriptura huius tractatus 79 locis erasa et correcta est.

partem ex variandi studio aut ex librarii coniectura orta esse videtur. Hunc enim modum ad codicem cognoscendum, quippe qui exigui sit momenti, sufficere posse existimo; ceterum non est cur negem mihi praeterea id consilii fuisse, ut codicem ab oblivione vindicarem.

Conspectus lectionum.

I. A) Codex Cr a textu G. Hartelii dissentiens cum codice G congruit his locis[1]: 152, 17 delapsus: dilapsus Cr G || 156, 19 amittat: ammittat || 157, 18 redamare: amare || 158, 1 non: *om.* || sic: licet || 159, 17 in: *om.* || 159, 18 bonis non invidere: *om.* || 162, 13 contenditur: appetitur || 163, 13 et ipse: ipse || 164, 16 imperetur: imperatur || 165, 7 amitttant: ammittant || 167, 9 veris et hiemis: eris et emis peria turbata G *adn. in marg. m.* 2. || 169, 6 alio: *om.* || 169, 13 episcopii: epi.

B) Codex Cr cum cod. G^1 concinit his locis: 165, 16 haud: haut Cr G^1 || 170, 1 eos: *om.*

C) Codex Cr consentit cum cod. G^2 his locis: 167, 6 etiam: et varii || 170, 18 sine disciplina: indisciplinati || et: *om.*

II. Cum X concordat Cr his locis: 152, 17 delapsus: dilapsus Cr X || 152, 18 parvipendat: parvipendit || 153, 2 si: quod si || 153, 19 convenit: competit || 154, 22 deinde: abusionis || 156, 3 esse: *om.* ||

---

[1] Prior lectio scripturam ab Hartelio receptam, numeri eius editionis paginam et versum significant.

156, 4 exercitatio: exercitatis || 156, 6 et: *om.* || 156, 10 oboedientia adulescens sine disciplina: disciplina adolescens sine obediencia || 156, 12 Christo Domino: a christo || 157, 1 pauperi prodesse potest: pauperes potest reficere || 157, 9 aeterna: eterna sunt || 157, 14 ostendant: ostendunt || 157, 15 se numquam: numquam se || 157, 16 cibos: et cibos || 158, 1 sic: licet || 158, 2 quisque: quisquis X[2] || 158, 10 sunt: *om.* || 158, 12 virtute: virtute deus || 158, 16 habet: custodit || 158, 17 castitatem custodit: *om.* || 159, 16 nullo: nulli X[2] || in: *om.* || 159, 18 bonis non invidere: *om.* || 161, 5 adhaereat: hereat || 161, 13 innumerosi: numerosi || 162, 7 deponit potentes: potentes deponit || 162, 13 contenditur: appetitur || 162, 20 subsequentem: speratam || 163, 1 sermones interdicunt: sermo interdicit || 163, 3 oculi: idem oculi || 163, 8 praecipitur: precipiuntur || 163, 13 manet et: manet || 163, 14 interim a: inter ima elementa || 163, 15 appetitoribus: apetentibus || 164, 2 neque clamavit: *om.* || 164, 7 enim: autem || 164, 8 quibus: qui || 164, 9 in caelis es: es in celis || 165, 6 perdunt: pretereunt || 165, 12 petenda: consequenda || 165, 20 dives: nobilis || 166, 2 desistant: desinant || 166, 19 vivere: confidere || 167, 6 etiam: et varii || 167, 24 plagali: miserabili || 168, 4 legationem: legacione || 168, 15 tu: *om.* || 168, 18 sermone si poterit: *om.* || 168, 19 corrigere: etiam corrigere || 169, 1 testium vel trium: vel trium testium || 169, 4 qui cuicumque: quicumque || 169, 13 episcopii: epĩ || 170, 1 supra: super || 170, 4 fidelis fuisti: fuisti fidelis || 170, 18 sine disciplina: indisciplinati || et: *om.* || 171, 1 compsallit: psallit || 171, 3 audet: audent X[2] || 171, 4 scindit: scindunt || 171, 10 ascendisset: ascenderet || 171, 12 ab excelso: ex

alto || 171, 15 Christi: domini || 172, 8 et: *om.* || 173, 2 fiamus ergo: simus itaque.

III. Sequuntur lectiones, quae codici Cr cum V sunt communes: 152, 8 fuerint: fuerit Cr V || 154, 3 in palore: in palorem || 154, 18 aetate: etati || 156, 5 reddit: reddet || ergo: enim || 156, 20 eum: illum || 156, 21 vade: vade et || 157, 9 aeterna: eterna sunt || 157, 18 redamare, amare || 157, 19 dictioni: dilectioni || 158, 1 non: *om.* || sic: licet || 159, 16 nullo: nulli || 159, 18 bonis non invidere: *om.* || 159, 22 hominis: hominum || 161, 3 ad portanda: ad portandum || 162, 13 rei dilectionem: dilectacionem rei || 163, 14 imperatur: precipitur || 164, 9 in caelis est: es in celis || 164, 16 apostolum: apostolum paulum || 166, 12 et viduis: *om.* || 167, 3 regnum: *om.* || 167, 17 valeat: valet || 168, 4 legationem: legacione || 168, 10 adnuntiabis: nuncciabis || 168, 22 es: eris || 169, 1 testium vel trium: vel trium testium || 169, 4 qui cuicumque: quicumque || 169, 6 alio: *om.* || 169, 16 non plus quam unam habens uxorem: non plures habens uxores quam unam || 170, 1 in: *om.* || quod: quos || eos: *om.* || supra: super || 171, 11 quoadusque: quousque || 171, 12 ab excelso: ex alto.

IV. Lectiones cum v concinentes sunt hae: 152, 14 dicta: dicta facere Cr v || 152, 15 praedicantis: constituentis || 152, 18 parvipendat: parvipendit || 152, 19 discipulos instruere volens: instruere volens discipulos || 153, 2 si: quod si || 153, 9 solo suo: solius sui || 153, 14 flagris: flagellis || 153, 19 convenit: competit || 154, 3 in palore: in palorem || 154, 4 lassi: lapsi || 154, 6 homo: etiam homo || 154, 9 futurae aditus: futura habitacio || 154, 11 recessus: exitus || 154, 13 peccandum: peccatum || 154, 19 est:

sit || 154, 22 deinde: abusionis || 155, 3 serviri: dominari || 155, 16 ad Moysen de rubo: de rubo ad moysen || 155, 22 ab adulescentibus: adolescentis || 156, 5 reddit: reddet || 156, 10 oboedientia adulescens sine disciplina: disciplina adolescens sine obediencia || 156, 21 vade: vade et || 157, 2 nam dives quae congregaverit: dives namque etsi multa congregaverit || 157, 9 aeterna: eterna sunt || 157, 14 illa diligit: res illas (illas res v) amat || 157, 15 se numquam: numquam se || 157, 16 cibos: et cibos || 157, 18 redamare: amare || 157, 19 dictioni: dileccioni || 158, 2 quisque: quisquis || 158, 4 perdat: prestet || 158, 5 emere poterit: potest emere || 158, 11 est: est ergo || 158, 15 sic: sic et || 158, 16 habet: custodit || 158, 17 iras: iram || 159, 8 per exteriorem: per exteriorem modum || 159, 10 est corporis: corporis est || 159, 16 nullo: nulli || 159, 20 etiam: et ea || 159, 22 hominis: hominum || 159, 23 esse se: se esse || 160, 5 in caelo thesaurum: thesaurum in celo || 160, 13 et: *om.* || 160, 14 exercitus: exteriori || 160, 18 per severitatem iudicii: severitate iudicis *1. m. corr. in* per severitatem iudicii || 160, 21 dominus: dominus pariter || 161, 8 solidius: plus || 161, 10 ducatu: populi ducatu || 161, 11 sceptra regni: regni sceptra || 161, 15 accepit: occupavit || 162, 2 igitur: ergo || 162, 3 Domini: dei || 162, 5 est enim: enim est || 162, 6 ipse: ipse enim || 162, 19 contendi: contendi posse || 162, 20 subsequentem: speratam || 162, 21 mundum praesentem: de mundo presente || 163, 3 oculi: idem oculi || 163, 8 his: hiis (iis v) || 163, 14 imperatur: precipitur || 163, 22 puer: filius || 164, 1 plateis: platea || 164, 11 cuius: cuius patrie || 164, 16 apostolum: apostolum paulum || 164, 20 summo: in summo || 164, 23 et-

enim: enim || 165, 2 misericors: misericors iudex || 165, 6 perdunt: pretereunt || 165, 9 quibuscumque: quibuscumque namque || 165, 19—20 quasi dives est pauper superbus mentis affectu et quasi pauper est dives mentis humilitate: Pauper ergo in multis diviciis est dives humilis spiritu. et nichil habens quasi dives est pauper superbus mentis affectu || 165, 20 dives: nobilis || 165, 21 inormitas: enormitas || 166, 1 quod: quia || 166, 2 desistant: desinant || 166, 19 vivere: confidere || 166, 20 ferre: tollerare (tolerare v) || 166, 23 est puer: puer est || 167, 18 tutamentum: tutamen || 167, 21 sciat || sciat rex || 167, 25 poena: pena futura || 168, 4 legationem: legacione || 168, 10 adnuntiabis: nuncciabis (nuntiabis v) || 168, 18 intendere: attendere || 168, 20 evangelio: evangelio dominus || 168, 22 es: eris || 169, 1 testium vel trium: vel trium testium || 169, 4 qui cuicumque: quicumque || 169, 6 sive: vel || 169, 7 scribitur: scriptum est || accipiet: accipiat || 169, 15 doctrinarum: doctrine || 169, 16 non plus quam unam habens uxorem: non plures habens uxores quam unam || 170, 1 in: *om.* || quod: quos || eos: *om.* || supra: super || 170, 4 fidelis fuisti: fuisti fidelis || 171, 4 consciderunt: sciderunt || 171, 8 ecclesiae disciplina: disciplina ecclesie || 171, 11 sedete: sedete hic || 171, 12 ab excelso: ex alto || 171, 15 de illa: de illa id est || Christi: domini || 172, 2 de quibus: de quibus viis || 172, 8 et: *om.* || 172, 12 vos reficiam: reficiam vos || 172, 23 sanctus: *om.* || 172, 25 protestatur Dominus: ipse dominus protestatur dicens.

V. Scripturae solius codicis Cracoviensis propriae eis, quae ad orthographiam pertinent, omissis hae sunt: 152, 8 abusiva saeculi: abusiva hu-

ius seculi Cr || 152, 12 qui quod: quod qui[1] || 152, 13 auditores enim: et auditores || 152, 15 enim: *om.* || 152, 19 bono: de bono || 153, 1 ammonebat: admonuit || 153, 3 a quo: in quo || 153, 5—6 si namque oculus... ministerium exiget: *om.* || 153, 6 doctores: rectores || 153, 8 praestent: prestant || 153, 9 regni: *om.* || 153, 11 perceperunt: acceperunt || 153, 14 flagris vindictae: vindicte flagellis || 153, 17 cui cum membra: cum enim membra || veterescunt: veterascent || 154, 2 oculi caliginant: calligant oculi || 154, 4 non: *om.* || 154, 7 cito: *om.* || 154, 10 instat: exstat || 154, 11 cunctis maturior: maturis || 154, 12 ergo: *om.* || 154, 13 pertrahunt: trahunt || 154, 16 sibi harmoniam: cerimoniam sibi || 154, 17 inludant: ne illudant || 154, 19 ut: et || 154, 20 vile reddat: vilestat || 154, 22 adulescens sine oboedientia: si adolescens obediencia deprehenditur || 155, 1 in: ab || 155, 2 proverbio: proverbiis || 155, 4 in: *om.* || 155, 9 homines: hominem || 155, 20 interroga patrem... et dicent tibi: interroga patrem etc. || 155, 22 tamen: *om.* || 156, 1 sustinuerit: sustinuit || 156, 2 etenim: *om.* || namque: enim || 156, 7 legitimum: summum || 156, 8 laboraverit: laboravit || 156, 12 Christo Domino exhibeat: a christo suscepit domino || 156, 16 usus sui: conversacionis sue || 156, 20 interrogaverat: interrogavit || 156, 21 et da pauperibus: *om.* || 156, 23 umquam hominum: *om.* || 157, 1 quod: quia || 157, 2 nequaquam: non || 157, 3 rebus: hominibus || est: *om.* || 157, 4 propter: *om.* || 157, 11 aeternis: *om.* || 157, 12 ea: *om.* || 157, 17

---

[1] Similiter (cf. 152, 18 vulneribus adhibere: adhibere vulneribus) ordinem verborum a librario cod. Cr persaepe mutatum esse monere satis est, cum nihil attineat me omnes locos exscribere.

quid: quod || 157, 20 a Deo praecipitur: iubetur || 157, 21 proximus: *om.* || rependere: reddere || 158, 1 etenim: et || 158, 2 imperat: precipit || 158, 3 si: qui || 158, 5 in: in *(adscr. p. m. in marg.)* 158, 15 bonos: *om.* || 158, 20 propurgat: propugnat || 158, 22 inpudica vita... in futuro: *om.* || 159, 1 vero: namque || bonam: *om.* || homines: homines bonos || de: et de || 159, 2 ope: spe || 159, 5 vegetat: viget || animam: omnium || 159, 6 ergo: *om.* || 159, 13 propositoque: propositumque || 159, 15 supercilioso intuitu... non permittere: vagari oculos non permittere, supercilii nutu neminem aspicere || 159, 17 aut: vel || 159, 18 incutere: inducere || 159, 19 meliori: meliorem || ignoras: ignorat || 159, 20 quae scis non omnia proferre: omnia que sunt non proferre || 160, 8 maerentium: mestorum || 160, 10 amicitia: amica || 160, 18 per bonos mores: bonis moribus || 160, 19 vindictae: vindictam || consentienti: consencienti imputans illi ferociter || 160, 20 eos qui dominantur: illum qui dominatur || 161, 1 propriae iniuriae: in propria iniuria || 161, 4 bene fixus... adhaereat: firmetur et bene fixus alicui forciori hereat || 161, 17 adtraxit: devertit || 161, 20 conscendunt: contendunt || Dei: domini || 161, 22 dominus: dominum || 161, 23 debet: decet || nullatenus: ullatenus || etenim: enim || 161, 24 multa: magna || habet: habeat || 162, 19 nihil: vix || 162, 20 scilicet: scilicet ut sequatur || igitur: ergo || 162, 22 mundum diligere, quod: quod illum diligit, quem diligi || 163, 1 quibus: in quo || 163, 2 neque: nec || 163, 5 vere: *om.* || quis: quid || 163, 6 ergo: autem || 163, 10 pergentes: *om.* || 163, 12 licenter: *om.* || 163, 17 alienus: alieni || 163, 18 debet: licet || 163, 19 igitur: igitur si || qui: *om.* || 163, 20 morum quoque:

morumque eius || 163, 22 describitur: dicitur || 164, 2 et: *om.* || morum: morem || similitudinem: similitudinemque || 164, 6 vocare: vocare vos || 164, 8 dicere: dicere. Sic inquiens orabitis || 164, 10 ergo: enim || patrem contendit in terra: contendit habere patrem in terra || 164, 11 se: *om.* || in caelo: in celis || 164, 12 terrenae: eterne || 164, 15 superbiam: superbia || e contrario: tamen || 164, 20 vult: *om.* || 165, 5 vero: namque || 165, 6 perdunt: pretereunt et || 165, 7 necessariam: *om.* || 165, 9 enim: *om.* || 165, 17 sancta: sacra || 166, 4 etenim... unde: qui cum iniquorum rector ęsse debuerit licet || 166, 6 dignitatem custodire debet: non custodiat dignitatem || enim: tamen || 166, 7 rectoris: rectoribus || 166, 9 regis: regum || 166, 12 suum: suum recte || defensorem: defensor || 166, 15 eleemosynis: alimoniis || 166, 16 alere: recreare || 166, 18 iracundiam: iracundiam suam || 166, 20 adversa: adversancia || 166, 22 insistere: insistere et || 167, 7 mortes: mors || 167, 8 conferunt: confert || 167, 9 tempestates: tempestas || 167, 13 se: *om.* || 167, 16 de semine: semini || 167, 18 inmunitas: unitas || munimentum: munimen || 167, 22 throno: in throno || hominum: *om.* || 167, 23 namque: enim || 168, 3 sui: *om.* || 168, 5 nominis: *om.* || 168, 6 cum Graecum nomen sit: nomen grecum est et || 168, 7 vero: *om.* || 168, 8 denudat: enudat *(p. m. corr.* enodat) || prophetae: *om.* || 168, 13 iniquitate: inpietate || 168, 16 iniquitate: inpietate || 168, 17 liberasti: servasti || qui: *om.* || speculator: in quibus speculum || 168, 18 et actu: *om.* || 168, 20 enim: autem || 168, 21 illum: ipsum || 168, 23 adhuc unum vel duos testes: duos vel tres || 169, 5 adhaerere noluerit: non adheret || 169, 6 sacerdote: sacerdote namque ||

169, 8 excommunicatum... excedit: excommunicatam ullam alicui catholico iungit iura sacerdocii secundum quod christianorum genus est electum excedit || 169, 17 non ebriosus: *om.* || 169, 18 ipse prius: *om.* || 16, 19 quod: quia || 169, 20 muti: multi || 169, 21 pastores gregem meum: gregem meum pastores || 169, 22 pastores: *om.* || 170, 2 illis: illi || scilicet: sed || 170, 5 supra... Domini tui: *om.* || 170, 8 plebs sine disciplina: sine disciplina gens || 170, 9 exercitationibus: exterioribus || 170, 10 iram: ira || domini: dei || 170, 11 praedicatur: dicitur || 170, 12 adprehendite: apprehendatis || Dominus: dominus et pereatis de via iusta[1] || 170, 13 ordinata: *om.* || 170, 15 tamquam: et tamquam || 170, 20 correctiones: correctores || 170, 21 eidem: quidem || 171, 1 ad: *om.* || psalmista: psalmus || 171, 4 crucifigentes: crucifigentes eius || 171, 5 disciplinam: unitatem || tegitur: tegit || 171, 6 omnibus... quia eadem: *om.* || 171, 14 igitur: ergo || 171, 19 legum: legis || eundem: eundo || 172, 10 communiter: *om.* || 172, 12 acceptio apud Deum: acceptor deus || 172, 15 unum: *om.* || est: *om.* || 172, 17 abusivum: abusio est || 172, 18 in cunctas gentes licentia praedicationis: in cunctis gentibus predicacionis licencia || 172, 19 per cunctas saeculi partes: per omnes partes || 172, 22 non populus: non populus dei. — *Subscriptio:* Explicit liber beati Cypriani de duodecim abusionibus huius seculi peccantis.

---

[1] Ps. 2. 12 non Ps. 21, 12, ut in editione H. legitur.

Observationes Ovidianae.

Scripsit

Gustavus Przychocki.

Ovidii poesis amatoria duas naturas et tamquam facies exhibet, quarum altera tristis ac severa quiddam tragicum ac sublime spirans, castum et propemodum divinum prae se fert amorem hominumque per pectora verecundiam, quin etiam timorem incutit; altera semper fere ridens nimiaque perfusa voluptate ad lascivas et Veneris fallaces invitat delicias. Atque negari non potest, illam ex flebilibus Metamorphoseon et Epistularum amantium descriptionibus quasi gravibus et luctuosis comparere oculis, hanc ex Amorum, Artis, Medicaminum, Remediorum »levi lusu« arridere vultu procaci; duae enim, quas distinximus, Ovidii carminum partes diverso amoris genere manifeste inter se differunt[1].

Huius autem hilaris et petulantis Camenae iocularem Musam, quae in Graecia novae comoediae spectatoribus tantum movebat risum, adfinem esse facile concedet, qui iudicio diligenter perpenderit,

[1] Quam differentiam E. Rohdeus (Gr. Roman, Lipsiae 1900 p. 141 adn. 2) leviter perstrinxit.

quam aperte utriusque artis opera inter se plurifariam consentiant[1]. Sed singula persequi minutiasque lectori obtrudere nunc quidem supersedeo, hoc tantum consideraturus, nonne tota quoque Ovidii carmina cum similibus comoediae novae descriptionibus cohaereant?

Iam Huschkius et qui eum secutus est Meineckius[2] suspicati sunt fabulam Menandri, quae *Περικειρομένη*[3] inscripta erat, arte cum carmine Ovidiano Am. I 7 coniungi[4], quod vero legitur Am. II 12 ex Menandro aptum esse Friedericus Leo[5] monuit. Quae cum ita sint, tres praeterea Ovidii elegias cum comoedia nova affinitate quadam consociari demonstrare mihi liceat:

Ac primum quidem in censum veniat carmen Am. I 8, cuius proprium esse videtur argumen-

---

[1] Quae res nondum omni ex parte perspicua facta est: Post nonnullas virorum doctorum commentariis passim insertas adnotationes Leo (Pl. Forsch. Berol. 1895 p. 129 sqq.) opinionem protulit, quaedam apud elegiacos Romanorum poetas arte cum Graecorum nova comoedia cohaerere. Cuius vestigiis ingressus Hoelzer (»De poesi amatoria a comicis Atticis exculta, ab elegiacis imitatione expressa« Pars I Marpurgi Catt. 1899) permulta exempla congessit. Paulo post Bürger (»De Ovidii carminum amatoriorum inventione et arte« Guelferbyti 1901) nonnulla ad hanc rem enucleandam adiecit. Hoelzer tamen aliique hanc Ovidii cum comoedia nova comparationem levi bracchio instituerunt, cum omnino falsam secuti sint opinionem de Alexandrinorum elegia, quae non communes, sed ipsorum poetarum proprios affectus exprimeret. V. Jacoby Mus. Rhen. vol. LX (1905), p. 40 sqq.

[2] Menandri et Philemonis rell. Berol. 1823, p. 136 sqq.

[3] Cf. K. Dziatzko »Das neue Fragment der *Περικειρομένη* des Menander«. Jahrb. f. Phil. 27 Suppl. (1900), p. 123 sqq.

[4] Cf. praeterea Bürger l. c. p. 23. adn. 2.

[5] L. c. p. 139 adn. 2.

tum scaenicam omnino redolens indolem [1], cum tres adeo personae prodeant. Similem rem in comoedia nova quaerenti Plauti Most. I 3 se offert, ubi eadem fere ratio conspicitur. Eodem videlicet modo apparent:

Callida anus (Dipsas: Am. I 8, 2 = Scapha: Most. 193), amata puella (Corinna (?) = Philematium), amator, qui clam eorum auscultat colloquium (Ovidius ipse: v. 22 = Philolaches). Quid, quod eadem fere cernitur sententiarum series?

Anus puellae blanditur:

Am. I 8

> Et cur non placeas? nulli tua forma secundast...
> Tam felix esses quam formosissima, vellem. (v. 25 et 27).

Most.

> ...lepida tute es (v. 168) ...virtute formae id evenit ut te deceat, quidquid habeas (v. 173) ...ut venusta es! (v. 182).

Tum puellam vituperat, quod unum tantum amet hominem:

Am. I 8

> Forsitan inmundae Tatio regnante Sabinae
> Noluerint habiles pluribus esse viris;
> Nunc...
> Ludunt formosae. (v. 39—43).

Most.

> Tu ecastor erras, quae quidem illum exspectes unum [atque illi

---

[1] Eiusmodi »poemata« praecipue »saltari« poterant, quam rem Ovidius ipse commemorat: »Et mea sunt populo saltata poemata saepe« (Trist. II 519; cf. etiam Trist. V 7, 25).

> Morem praecipue sic geras atque alios asperneris.
> (v. 188—189).

Itaque suadet et hortatur, ut puella pluribus amorem suum concedat eoque modo divitias paret:

Am. I 8

> Forma, nisi admittas, nullo exercente senescit[1]
> Nec satis effectus unus et alter habent.
> Certior e multis, nec iam invidiosa rapinast:
> Plena venit canis de grege praeda lupis! (v. 53—56).
> Qui dabit, ille tibi magno sit maior Homero:
> Crede mihi, res est ingeniosa dare! (v. 61—62).

Ponuntur deinde praecepta, quae praecipue amatori exspoliando inserviant.

Most.

> Matronae, non meretricium est unum inservire amantem
> (v. 190).
> ...si illum inservibis solum
> Dum tibi nunc haec aetatulast, in senecta male que-
> [rere (v. 216—217).

Cf. etiam v. 224—226.

Non deest praeterea auscultantis amatoris indignatio, qui, cum omnia audit, iracundiam cohibere manusque abstinere vix potest:

Am. I 8

> At nostrae vix se continuere manus
> Quin albam raramque comam lacrimosaque vino
> Lumina rugosas distraherentque genas. (v. 110—112)

Most.

> Vix comprimor, quin involem illi in oculos stimulatrici.
> (v. 203).

---

[1] Cf:

> .....τὸ δ' οὖν ῥόδον,
> εἰ μή τις αὐτῷ χρήσεται, μαραίνεται
> Com. adesp. frg. 189 Kock.

In anginam ego nunc me velim verti, ut veneficae illi
Fauces prehendam... et q. s. (v. 218—219).

Cf. insuper: v. 192—193; 212—213.

Quibus perlectis nullo negotio conicias hanc Ovidii elegiam ex quadam Graecae fabulae scaena originem traxisse. Ovidius enim certe non Graecarum comoediarum »leves umbras« (ut cum Quintiliano dicam) Romanorum videlicet palliatas, sed Graeca potissimum exemplaria reminiscendo recordatus est.

Sed ad aliam elegiam examinandam transeamus, scilicet Am. III 11 [1] cum Terent. Eun. I 1 comparare libet:

Itaque primum sub oculos cadit apud utrumque auctorem, Ovidium et Terentium (Menandrum) dico, prorsus eandem rei inventionem atque depingendi rationem comparere: Hic et illic amator, qui puellae saevitiam aegre ferat, amorem ei renuntiat; mox tamen, cum sibi constare non possit, in castra Veneris regreditur [2].

Cum in Ovidii elegia poeta quasi cum suo genio [3] colloquatur (v. 7), tum in Terentiana Eunu-

---

[1] Cui elegiae F. Jacoby carmen quidem Catullianum 85 secundum disciplinae rhetoricae leges auctum subesse putat, nihilominus tamen ipse in comparationem Eun. v. 70 sqq. vocat (l. c. p. 86).

[2] Atque eum »subito conversum poetae animum«, qui virum doctissimum, Lucianum Muellerum dico, impulit, ut hanc elegiam in duas partes dirimeret (Philol. XI (1852) p. 91), facile intelleges, si huius comoediae scaenae rationem habueris, quae notam illam amoris varietatem atque inconstantiam egregie exprimit.

[3] Cf. Th. Birt »Zur Geniuslehre« Philol. v. LXIII (1904) p. 436 sqq.

cho (I 1) Phaedria adulescens amore correptus describitur, cui quodammodo genii vice Parmeno servus adiungitur. Sed iam singula perspiciamus:

Amator, tot a puella sua iniuriis affectus, tandem amorem suum eicere, neque unquam ad puellam reverti doloremque »obstinata mente perferre« constituit:

Am. III 11

> Ergo ego sustinui, foribus tam saepe repulsus,
> Ingenuum dura ponere corpus humo? (v. 9—10).

Dein dolores suos enumerare pergit (v. 10—26).

> Cede fatigato pectore turpis amor! (v. 2).
> ...non ego sum stultus, ut ante fui! (v. 32).

Idem sensus subest iis, quae Phaedria in Eunucho dicit:

> Quid igitur faciam? non eam ne nunc quidem,
> quom arcessor ultro? an potius ita me comparem,
> non perpeti meretricum contumelias?
> exclusit; revocat: redeam? non, si me obsecret.
> (v. 46—49).

At tamen, quod apud animum suum statuit, perficere nequit, nam odio et amore quasi infestis signis concitari coeptus est:

Am. III 11

> Luctantur, pectusque leve in contraria tendunt
> Hac amor hac odium... (v. 33—34).

Eun.

> ...Indignum facinus! nunc ego
> et illam scelestam esse et me miserum sentio:
> et taedet et amore ardeo... (v. 70—72).

Obstinatus modo ac firmus animus paulatim labefactatur:

Am. III 11

> ...sed, puto, vincit amor.
> Odero, si potero; si non, invitus amabo; (v. 34—35).

Eun.

Eandem fere sententiam Parmeno exprimit:

Siquidem hercle possis (*scilicet:* haec perficere, quae constituisti) nil prius, neque fortius. verum... infecta pace ultro ad eam venies, indicans te amare et ferre non posse. (v. 50—54).

Tum Phaedria ipse dicit:

> ...prudens sciens
> vivos vidensque pereo, nec quid agam scio. (v. 72—73).

Denique amator velit nolit se rursus puellae addicit:

Am. III 11

> Sed ego nec sine te, nec tecum vivere possum
> Et videor voti nescius esse mei (v. 39—40).
> Quidquid eris, mea semper eris... (v. 49).

Eun.

Etiam Parmeno Phaedriae suadet, ne se ipse dolore afficiat, neque impugnando amore molestias augeat:

> Quid agas?... ne te adflictes...
> neque praeterquam quas ipse amor molestias
> habet, addas, et illas quas habet recte feras. (v. 74—78).

Cui consilio Phaedria plane obtemperat, cum timide tantum interrogat: »itane suades?« (v. 76). Ex quo efficitur, ut etiam hanc Ovidii elegiam aliquatenus cum comoedia nova conectamus. Re-

stat, ut de tertia elegia, quae est Am. III 8 disputem.

Inter omnes constat Ovidium in hanc elegiam celeberrimam comoediae novae transtulisse personam, »militem gloriosum« dico. Si tamen similem descriptionem, quae non ad singula verba, sed ad totius rei condicionem ac rationem pertineat, investigabis, eam in Luciani Dial. mer. 13 invenies, qui ad comoediam novam procul dubio est referendus. Lucianum enim studiosissimum comoediae novae imitatorem fuisse et viris doctis persuasum est et ipsius scriptoris operibus nonnullis luce clarius comprobatur [1].

Itaque praecipue consentiunt elegiae Ovidianae v. 9—22 et dialogi c. 3—4, ubi miles gloriosus iactantius de suis praedicat factis, quibus puellae summam admirationem excitet. Qua ostentatione tamen grandiloquus Alazon apud Lucianum longe aliud ac voluit assequitur, nempe puellae fastidium, quod quidem puellae suae erga invisum militem inicere studet Ovidius:

Am. III 8

> Cerne cicatrices veteris vestigia pugnae:
> Forsitan et quotiens hominem iugulaverit, ille
> Indicet! (v. 19 et 21—22).

In Luciani dialogo re vera miles fusius, quot homines occiderit, usque eo narrat (c. 1—3), donec puella hac caede perterrita exclamat:

---

[1] Cf. Meinecke l. c. p. XXXV.
Leo l. c. p. 128 sqq.; 133 sqq.
Kock »Lucian und die Komödie« Mus. Rhen. vol. XLIII (1888) p. 29 sqq.

»Ἄπαγε, ὦ Λεόντιχε, μιαρὰ ταῦτα καὶ φοβερὰ περὶ σαυτοῦ διηγῇ, καὶ οὐκ ἂν ἔτι σε οὐδὲ προσβλέψειέ τις οὕτω χαίροντα τῷ λύθρῳ...« (c. 4).

Ovidius puellae suae vitio vertit, quod militem amet:

Hunc potes amplecti formosis, vita, lacertis?
Huius in amplexu, vita, iacere potes? (v. 11—12).
...dextram tange: cruenta fuit.
Qua periit aliquis, potes hanc contingere dextram?
(v. 16—17).

Luciani puella eadem secum animo volvit, cum dicit:

»...Οὐκ ἂν ὑπομείναιμι ἀνδροφόνῳ συγκαθεύδειν... Ἀλλ' ἐναγὴς ἄνθρωπος εἶ, καὶ τὸ αἷμα κατέσταζέ σου... εἶτ' ἐγὼ τοιοῦτον ἄνδρα περιβαλῶ καὶ φιλήσω; μή, ὦ Χάριτες, γένοιτο...« (c. 4).

Iam vides quam aperte haec Ovidii carmina cum Graecorum nova comoedia congruant. Attamen neque confido has quidem Graecae comoediae partes pro certo ac vero »fonte« habendas esse, neque omnino adduci possum, ut ab Ovidio aliquod exemplar de industria exscriptum esse contendam, cum illa ratio minime eius singulari conveniret ingenio.

Unum tantum probabile argumentum iis mihi suppeditasse videor, qui Ovidii animo, cum nonnullas (nescio an omnes) componeret elegias, Graecorum novae comoediae fabulas obversatas esse et ad conformandam Ovidii poesin amatoriam eamque et affectu et dignitate inferiorem haud parum valuisse demonstrare student[1]. In Amori-

---

[1] Res amatorias directa quoque via, aliis carminibus non

bus enim, Arte, Remediis, Medicaminibus componendis Ovidius certe verae ac cotidianae vitae imaginem exprimere conatus est eamque imprimis ante oculos habuit; cum tamen comoedia nova uberrimam eius modi rerum subministraret copiam, non erat, cur illum Amoris apparatum respueret. Itaque in singulis rebus describendis ad comoediae novae consuetudinem proxime accessit et ex ea, quasi ex ubere fonte hortulos suos large irrigavit [1], quamquam certe bona fide aliena pro suis accipiebat. Nam res, quae semel hominem laetitia percussit, animo eius semper haeret infixa et variis momentis tamquam expergefacta iterum atque iterum recurrit ingeniique poetici fetus, quamquam singulari ac peculiari mente conceptos, semper coloribus suis nescio qua vi latenti

---

interpositis, ex comoedia nova in Ovidii elegias fluxisse non est quod miremur, cum Ovidius ipse comoediae novae studiosissimum se fuisse testetur: Rem. 385 sqq.; Art. III 332; Trist. II 369 sqq.; Am. I 15, 17 sqq.; cf. etiam Art. III 604. Vid. etiam Jacoby l. c. p. 82.

[1] Si vero uniuscuiusque rei »fons« est quaerendus, illius sublimioris amoris, quem Metamorphoseon libri et Epistulae praecipue ostendunt inventio certo non a comoedia, sed a tragoedia, a rhetorum scholis et ab Alexandrinorum carminibus, imprimis autem mythologicis elegiis originem duxit. Cui sententiae grave pondus etiam inde accedere videtur, quod Ovidius tragoediam optime novit, in hoc quoque genere vires suas exercens, deinde Alexandrinorum strenuus erat sectator, Metamorphoseon denique libri et Epistulae praecipue rhetorum scholae alumnum produnt.

Cf. C. Morawski, Ovidiana, Cracoviae (1903) p. 1 sqq.; Rohde l. c. p. 132—138; Th. Birt Animadversiones in Ovidii heroidum epistulas. Mus. Rhen. vol. XXXII (1877) p. 386 sqq.; Ribbeck. Gesch. d. röm. Dicht. Stuttg. (1894) vol. II. p. 302 sqq.

inficit[1]. Sed hoc ad artem praecipue, qua singula depinguntur, spectat, cum eadem res varias induit formas; similiter amoris variant descriptiones, ignes autem ipsi sive affectus omnibus communes, ut rerum natura fert, sub hominum pectore semper iidem gliscent:

> Quia dum labuntur anni plane eadem manent
> Humani semper generis studia et indoles,
> Cupidines dolores, gaudia et metus[2]....

---

[1] Singularem illam animi humani proprietatem dico, quam viri docti »kryptomnesin« nuncuparunt. Cf. R. M. Meyer »Kriterien der Aneignung« N. Jahrb. vol. XVII—XVIII (1906) p. 319 sqq.

[2] The Phormio of Terence transl. by Morgan. Rec. Dziatzko. Cantabrigiae 1894. Prologus novus ab I. Br. Gronovio scriptus. v. 4 sqq.

Quaenam virtutes mulieribus in carminibus latinis epigraphicis tribuantur?

Scripsit

Stanislaus Skimina.

Cum carmina sepulcralia mortuorum memoriam, ut par est, optimam exhibeant, malorum vero vitia silentio praetermittant, feminas quoque in eiusmodi inscriptionibus, si a nonnullis titulis [1], qui maledicta in defunctas coniciant, abscesseris, laude potissimum ornari facile intellegitur. Atque carmina epigraphica, quae reipublicae temporibus mortuorum honoris gratia composita sunt, primum simplicem formam aeque ac illa Scipionum elogia induunt feminarumque virtutes in universum

[1] Cf. 95 Hic stigmata aeterna Acte libertae scripta sunt uenenariae et perfidae dolosae duri pectoris:... manumissa gratis secuta adulterum patronum circum scripsit et ministros ancillam et puerum lecto iacenti patrono abduxit, ut animo desponderet solus relictus spoliatus senex.

Solis numeris nomine editoris omisso significavi carmina collecta a Francisco Buechelero: Carmina latina epigraphica, Lipsiae, 1895. Numeri signo Ch praefixo referendi sunt ad editionem Iohannis Cholodniak: Carmina sepulcralia latina epigraphica, Petropoli, 1904.

commemorant, e. g. 14 quoius format... uicerunt mores; aut breviter singulas enumerant: 52, 4 sqq. suom mareitum corde deilexit souo... sermone lepido, tum autem incessu commodo. domum seruauit. lanam fecit[1]; deinde labentibus annis, cum vitae rationes cultus et instituta in dies magis crescerent vel mutarentur, etiam titulos uberiores et multiplicis speciem varietatis prae se ferre videmus: 55, 9 sqq. docta, erodita paene Musarum manu... studium patronae, cura, amor, laudes, decus. Moris autem erat sub Caesarum imperio, ut diversi lapicidae inscriptiones ad certam legem sive formulam constitutam redigerent[2], id quod ex multis exemplis colligi potest[3].

Haud mirum est, temporibus, quibus secundum Senecae verba[4] maritarum impudicitia pro

---

[1] Friedländer: Darstellungen aus der Sittengesch. Roms I (6) p. 517. Ribbeck: Geschichte der römischen Dichtung I (2) p. 294.

[2] Ribb. Röm. Dich. I (2) p. 295. Cagnat (Revue de philologie XIII 51 sqq.) putat, lapicidas singula ex libris depromere potuisse, qui carmina sepulcralia ab aliis composita continerent. Quam Cagnati opinionem Bruno Lier (Topica carminum sepulcralium latinorum, in Philologo 62 (1903) p. 416 sqq.) repudiat, cum affirmat, omnes inter se consentientes titulos Graecis carminibus sepulcralibus et Consolationibus inniti.

[3] Cf. 76. 82. 83. 1545; 164. 165. 166. 167. 170. 171. 172. 173. 1486; 1539. 1540. 1541. 1542. 1083. 1084. 125; 1472. 1473. 1474. 1475; alia etiam, quae cum Graecis comparat, exempla profert Bruno Lier l. l. p. 456 sqq.; cf. dissertationem Casimiri Morawski: de Athenarum gloria et gloriositate Atheniensium p. 29 adnot. 1.

[4] Seneca Consol. ad Helv. 16,3: Non te (sc. Helvia) maximum saeculi malum, impudicitia, in numerum plurium adduxit.

maximo aetatis malo haberetur, viros uxoribus maximas egisse gratias, quod, cum viverent, maritalem fidem servassent nec torum violassent. Hanc itaque virtutem mulieribus praecipuae laudi dari multa testimonia epigraphica docent: 448, 2 sq. quae commune torum seruauit casta mariti et fidei plena pietate nobili uixit. 1132, 3 seruasse et foedera lecti. 1849, 8 seruat castos uxor amata toros. 548, 3 sqq. toru maritale dilexit sobria, non moecha (cf. 663, 4 sobria casta), simplex... dedita coniugi soli suo, ignara alienum. 552, 5 sqq. coniugii praeclara fuit fide erga maritum,... nescia delicti spurci quo femina peccet. 1311, 1 Conubii decus egregium. Quae bonae uxores dicuntur aliis locis castae, fideles, suis maritis gratae: 381 uiro cara custosq. fidelis. 496, 4 castior ut probior seruatior ulla marito? 633, 1 sq. Quae nullo poteras seduci crimine coniunx, castus erat tibi amor. 1502 casta pudica pudens coiuge cara suo. 491, 2 sqq. unus amor mansit, par quoque uita fidelis: si doluit aliqui, me quoque iunxi dolori; par fui dum potui. 560 C 1 fidelis amica marito. 1131, 4 exsemplum fidei coniugis atque decus. 1192, 7 dulcis, casta uiro, reuerens pia kara fidelis. 1300, 4 fida etenim coniux. 1141, 10 pia coniugio grataque semper erat. Altera mulier multis annis suo marito solatio fuit (635); altera laudatur, quod suum coniugem semper et ubique comitata sit (96, 4), illa, quod domum viri servaverit et consilio suo eum iuverit (516, 6). Iulia quaedam haec de se praedicat (86): nullum dolorem ad inferos mecum tuli, uiro et patrono placui.

Aetate, qua pristini mores iam evanuerunt et

conubia persaepe dirimebantur ita, ut Seneca dixerit[1], quasdam inveniri mulieres, quae annos suos non secundum consules, sed secundum maritos numerarent, uxor, quae cum coniuge suo complures annos nullam litem habuit, summae inde laudis praemium petebat (Ch 44, 2. 1133, 5). In carmine 574, 3 pietas mulieris appellatur persancta, alias (652) praedicat coniux maritam castam, maritali semper devinctam pudore fuisse atque omne bonum soli servasse marito, alias (Ch 225, 2) adhibet maritus ad eximiam coniugis virtutem designandam haec verba: de queius castitate nunqam questus sum. Quae cum ita sint, non dubitamus, quin univirae appellatio magnam continuerit laudem: 643, 5 uno contenta marito. 736, 3 uni deuota marito. 1306, 4 uniuira unanimis. 1523, 7 unum sortita maritum. Ch 62 uno contenta viro. Ch 191 Geminia Ingenua, univira, conservatrix dulcissima, mater omnium hominum, parens obnibus subvenies, innocens, castissima, praestans, rarissima v. annis LXXXI.

Maritam viro suo etiam in rusticis opem tulisse laboribus comperimus ex carmine 385, 1 sq.: quae frugiferas cum coiuge terras has colui.

Mulieres, quae maritorum voluntati obtemperabant, haud frequentes fuisse videntur, nam etiam obsequium pro maxima laude habebatur (429, 4. 455, 3 sqq. 1846, 10). Et re vera nonnunquam feminae maiorem sibi auctoritatem asciscere studu-

[1] Sen. de ben. III 16, 2: Numquid iam ulla repudio erubescit, postquam inlustres quaedam ac nobiles feminae non consulum numero sed maritorum annos suos conputant et exeunt matrimonii causa, nubunt repudii?

erunt[1], quare titulus 1846 in quandam Christianam mulierem scriptus, cui »nil quod foedum vitium nec moribus ullum«, quae praeter alias virtutes etiam oboedientiam praestitit, in haec exit verba: cedite iam ueterum laudes omnesque maritae, tempora nulla dabunt talia quae faciat. Neque pepercit maritus laudibus, cum coniugis obsequium atque animum ad concordiam semper propensum extolleret (492, 13 sqq.); quam mulierem sibi Larem, vitam, spem fuisse dicit.

Non a re alienum erit etiam carminis celeberrimi mentionem facere, quo Paulinam uxorem suam augur et pontifex Vettius Agorius Praetextatus alloquitur (111, 54 sqq.): Paulina ueri et castitatis conscia, dicata templis atq. amica numinum, sibi maritum praeferens, Romam uiro, pudens fidelis pura mente et corpore, benigna cunctis, utilis penatibus, calda...

Ad virtutes, propter quas maritae laudantur, proxime accedunt attributa, quae ad mulierum, virginum castitatem spectant. Quam virtutem mulieres praesertim Caesarum aetate, qua morum corruptio adeo evaluit, ut feminae impudicae gravibus senatus decretis coercerentur[2], difficillime servare poterant, quippe quae sescentis periculis et dolis cum in theatris tum in circis et in virorum commercio obnoxiae essent. Quam ob rem pudori, sanctitati, probis moribus mulierum in carminibus paganorum primae conceduntur: 81. 96, 5. 221, 2 sq. pulchra forma tota, pulchrior moribus cunctis decoris antecessit feminis. 368. 451.

---

[1] Friedl. Darst. I (6) p. 470.

[2] Cf. Tac. Ann. II 85 et Suet. Tib. 25.

640, 2. 843. 959 A 2. 1044 A 2 sq. moribus et forma pariter laudabilis, ut quis cernere non posset, pulchrior an melior. 1058, 1. 1136, 4. 1203, 3 sine crimine morum. 1289. 1307, 3 amica pudoris. 1329, 3 sq. moresque facundi, fuit et pudicitia. 1604, 10. Idem Christianorum feminis summo est honori: 670, 4 solo contenta pudore. 701, 6 sqq. nullis uita dolis cunctum uiolata per aeuum respuit inlicitos probrosi criminis actos. insultus iuuenis nullus subrepsit in actus ambitio nexitque ipsam nec saeua libido. 710, 1 sq. fida iugalis, quae tenuit castam defuncto coniuge uitam. 736, 3. 765. 782, 2. 1357, 5 moribus hec Cristum semper comitata superstes. 1430, 5. 1443 A 6 sq.

Non minoris momenti videntur carmina, in quibus matrum erga liberos pietas earumque cura in filiis erudiendis posita commemoratur; confer: 94, 1. 736, 6 natorum curam miro suspexit amore. 1300, 4. 1395 B 16 sq. mulcebat natum... hortatu monitisque piis cultuq. diurno. 1584, 1. 1836, 5.

Etiam bonis, piis filiis maxima laus tribuitur: 62. 153, 2 quae nunquam laesit matrem. 1058. 1. 1141, 7. 1169, 6 matri dulcis. 1311, 1 lux alma parentum.

In Iuvenalis satira[1], quae mulierum castigat vitia, legimus, mulieres maxima voluptate affici, cum servas suas virgis caedi iubeant. Quapropter in inscriptionibus non praetereuntur mulieres, quae erga servos amore et misericordia usae sunt: 93, 7. 116. 1836, 5. 364. 552, 8.

Frequentantur etiam laudes mortuarum, quae, cum viverent, parentibus viris amicis omnibusque

---

[1] Iuven. VI 475 sqq.

notis voluptati fuerunt, quae semper fidem praestiterunt nec quemquam laeserunt. Eam, cuius obitus titulo 94, 6 deploratur, tam dulcem fuisse legimus, ut deorum quam hominum coetu dignior visa sit[1]; alia amoenitatis suae causa cum rosa comparata est 967: ut rosa amoena... seic ego amoena fui. Persaepe in his carminibus de mulierum virtutibus in universum tantum agitur. Huc spectant inprimis formulae: uixit sine crimine ullo (486, 2. 552, 1), munda ex omni crimine uita (1439, 2), uitae sine fraude peractae praemia (1031, 1 sq.), quae uixit sine ulla querela (1593, 3), inimica nemini uixit (509, 4). Occurrunt in inscriptionibus adiectiva, quibus variae feminarum designantur virtutes: simplex (108, 6. 158, 2. 1187, 9. 1561, 4), honesta (652, 1. 736, 1. 740, 3), iusta (652, 1. 736, 2), innocua (108, 6), religiosa (158, 2), frugi (368. 471, 8), larga benigna (559, 2), reuerens (451), sobria (663, 4), grauis (782, 2. 1390, 6. 1561, 4).

Inter alias vitae cotidianae virtutes diligenter notantur domestici mulierum labores, quorum gratissimum Romani iam inde ab antiquissimis temporibus fila ducendi ac texendi laborem habuerunt[2]. Attamen luxuria ingruente hoc officium paulatim in desuetudinem veniebat[3], eaque de

[1] Cf. Bruno Lier l. l. p. 598.

[2] Liv. I 57,9: nocte sera deditam lanae inter lucubrantes ancillas in medio aedium sedentem inveniunt. Arnobius II 67: Matres familias vestrae in atriis operantur domorum industrias testificantes suas.

[3] Columella 12 pr.: Nunc vero, quum pleraeque sic luxu et inertia diffluant, ut ne lanificii quidem curam suscipere dignentur, sed domi confectas vestes fastidio habeant, nihil mirum e. q. s.

causa in carminibus epigraphicis praecipuo honore exornantur feminae, quae fila ac telam exerceant, nec raro sedulitatis suae signum in monumentis sellam textoriam manibus tenentes effinguntur[1]. In quodam sarcophago (237), qui Romae invenitur, legimus: Hic sita est Amymone Marci optima et pulcherrima, lanifica (cf. 52, 8 lanam fecit) pia pudica frugi casta domiseda; in tabula marmorea pulchris et magnis litteris scriptum est: haec frugi pia docta colo calathisque Mineruae (471, 8); epitaphium quoddam (1123, 3) laudat mulierem his verbis: lanifici praeclara fides; carmen autem saeculi tertii (492, 16): nec labos huic defuit, nec uellerum inscia fila. In magno cippo (995 A 6) praedicatur quaedam liberta: quam Pallas cunctis artibus erudiit (i. e. lanificii artibus).

In supra commemorato sarcophago (237), qui Hadriani aevo assignari potest, unicum invenitur exemplar tituli, quo feminae bonae domisedae appellatio imponitur. Quae appellatio in mulierum vitam cotidianam inspiciendi idoneam facit copiam. Ex Romanorum scriptoribus comperimus, Romanis mulieribus multas datas esse occasiones, ut extra domum degere possent, quarum maximas Tacitus[2] spectaculorum illecebras, conviviorum irritationes, litterarum secreta putat. Feminae Romanae aliter quam Graecae etiam severorum morum temporibus, republica stante, nequaquam sese domus parietibus continebant, frequentabant circos, theatra, conventus matronarum, se

---

[1] Marquardt, Das Privatleben der Römer I (1) p. 56 adnot. 2.

[2] Tac. Germ. 19.

in negotia publica interponebant atque auctoritatem suam cupiebant in republica administranda valere. Quibus rebus occupatae non poterant se negotiis domesticis dedere; inde igitur feminae his studiis vacuae, quae mariti vel parentum domo se tenebant, summam adeptae sunt laudem, quod etiam ex supra allato cognomine »domiseda« plane apparet.

Ne puellae Romanae ab omni politiore elegantia abhorrerent, etiam cantandi [1] et saltandi artem nonnunquam discebant. De huius generis mulieribus haec scripsit Ovidius: [2]

> Haec quia dulce canit flectitque facillima vocem,
> Oscula cantanti rapta dedisse velim;
> Haec querulas habili percurrit pollice chordas:
> Tam doctas quis non possit amare manus?
> Illa placet gestu numerosaque bracchia ducit
> Et tenerum molli torquet ab arte latus [3].

In carminibus epigraphicis tribuuntur laudes fèminis, quae his artibus eruditae sunt. In quodam lapide legimus (489, 2 sq.): artibus edocta superabat sola maritum. uox ei grata fuit, pulsabat pollice cordas; in 1282, 4 enituit docta sonare mele;

[1] Cf. Friedl. Darst. III (6) p. 365.

[2] Ovid. Am. II 4, 25 sqq.

[3] Cf. Id. ib. II 11, 31 sq. Id. A. a. 301 sq. Sallust. Cat. 25,2 genere atque forma praeterea viro atque liberis satis fortunata fuit; litteris Graecis atque Latinis docta, psallere et saltare elegantius, quam necesse est probae, multa alia, quae instrumenta luxuriae sunt. Prop. II 22,5. Stat. Silv. III 5, 64 sqq. sive chelyn complexa petit seu voce paterna | discendum Musis sonat et mea carmina flectit | candida seu molli diducit brachia motu. Macrob. satur. III 14,4 Taceo quod matronae etiam saltationem non inhonestam putabant, sed inter probas quoque earum erat saltandi cura.

in 1302, 1 Docta lyra, {grata et gestu, formosa puella; carmen reipublicae temporibus compositum Claudiae incessum praedicat (52, 7): sermone lepido, tum autem incessu commodo. Graeca virgo liberta, omnibus artibus perpolita, cum suam fortunam atque Parcas, quod sibi quattuordecim annos natae vitam ademerint, queritur, dicit de se (55, 9 sqq.): docta, erodita paene Musarum manu, quae modo nobilium ludos decoraui choro et graeca in scaena prima populo apparui[1].

Inter omnes constat[2] mulieres saepenumero amplioris eruditionis studiosas nec legendi et scribendi arte contentas fuisse et una cum viris ad egregias Graecorum ac Romanorum litteras cognoscendas incubuisse. Quapropter legebant tragoedias, comoedias (e. g. Menandri), poemata epica, maximam autem partem carmina amatoria. Ipsae etiam ad scribendi studium se conferebant, notum est enim, Agrippinam, Neronis matrem, vitam suam prosa oratione, qua Tacitus innixus est[3], enarrasse. Audimus, nonnullas poetico ingenio praeditas fuisse atque carmina scripsisse, cuius rei testimonium Sulpicia, Tibulli aequalis, esse potest. Similiter in carminibus epigraphicis memorantur eruditae sive doctae mulieres: 1136, 3 sq. nobilis Euphrosyne, facilis formosa puella docta opulenta pia casta pudica proba. 1165, 7 sq. super annos docta. 1166, 5 sq. quod si longa tuae

---

[1] Cf. ad h. l. Buecheleri adnotationem.

[2] Sallust. Cat. 25; Ovid. Trist. II 369; Martial. VIII 3, 13.

[3] Tac. Ann. IV 53 id ego, a scriptoribus annalium non traditum, repperi in commentariis Agrippinae filiae, quae Neronis principis mater vitam suam et casus suorum posteris memoravit.

mansissent tempora uitae, doctior in terris nulla puella foret[1]. Aliqua nondum bis septem annos nata virgo celebratur propter artes ingenuas (1167,1), similiter sacerdos quaedam, quia artibus et cunctis est decorata bonis (1125, 7). De virgine, quam undecimum annum absolvere fata non siverunt, legimus in carmine marmore insculpto, quae sequuntur (1058, 2): excedens cunctas ingenio aequalis; de Christiana muliere similiter (1390, 6): moribus ingenio et grauitate nitens; in titulo 1303 laudatur mortuae mens, digna corpore suo. Punica virgo Erasina duodecim annorum appellatur in carmine 453: Musarum amor et Charitum uoluptas; virgo Eucharis (55, 9) fuit erodita paene Musarum manu; Euphrosyne (Ch 987 h) pia docta novem musis, philosopha.

Mulieres Romanae philosophiam quoque attingebant, qui mos tamen semper reprehendebatur. Nihilominus legimus in carmine epigraphico Ch 987 h, mortuam doctam novem musis et philosopham fuisse. Attributum »sapiens«, quod nonnullis locis aliis mulierum attributis insertum invenimus (782, 2. 843. 1430, 5. 1561, 4. Ch 1056 a 4) fortasse ad philosophiam feminis adamatam spectat.

Virtutes, de quibus hucusque egimus, propriae sunt gentilium mulierum et Christianarum. Utrobique itaque laudantur mortuae, quae fidem erga maritum praestiterunt nec non quae castitatem suam servaverunt, aliae celebrantur propter pietatem in parentes, liberos, aliae praedicantur propter humanitatem aut multis admirationem eruditionis suae iniciunt.

---

[1] Cf. ad hoc carmen Bruno Lier l. l. p. 454.

Atque in his acquiescendum est, nam de animi bonis atque indole, quibus Christianorum vita novis praeceptis et legibus exculta a paganorum moribus longe abest, quominus hoc loco plura dicam, chartae angustiis prohibeor.

De Romae epithetis quaestiuncula.

Scripsit

Iosephus Ziemski.

Haud aliter atque Athenienses Athenas Romani urbem urbium splendidis coloribus speciosisque epithetis exornare studebant, praesertim cum pulchre sonantibus appellationibus vanisque lenociniis auditorum et lectorum animos inebriare eorumque favorem capere perfacile possent.

Qui Ciceronis orationes perlegerit, non parvam inveniet copiam flosculorum, quibus urbs Roma et populus Romanus distinguebantur. Ut pauca afferam exempla, Roma a Cicerone »arx omnium gentium« (Cat. IV. 11), »domicilium imperii et gloriae« (De or. I. 105), populus autem Romanus saepissime »victor omnium gentium« (Philipp. IV. 15; VI. 12; de domo 90, pro Plancio 11; cf. Flor. II. 2, 3; II. 34, 61; Sen. controv. II. 1, 5; Plin. Paneg. 51) vocantur. Accedunt praeterea blandae locutiones velut: princeps terrarum populus; moderator gentium, dominus regum. Qui tituli apud rhetores aetatis argenteae et apud rerum scriptores, qui lumina dicendi non asperna-

bantur, Sallustium dico, Arellium Fuscum, Senecam rhetorem, alios saepissime occurrunt[1].

Neque est, quod mireris poetas Augusteae aetatis Romuleam urbem, quam post bellorum civilium atrocissimas procellas ad summam potestatem et felicitatem pervenisse viderent, exquisitis laudibus celebrare instituisse. Epithetorum, quorum non parvam copiam ex huius temporis poetarum carminibus congessi, nonnulla adeo percrebruerunt, ut cum urbis nomine plane coaluerint. Atque usitatissimum est epitheton »Roma aeterna«, quod primum apud Tibullum (II. 5, 23)[2] invenimus, temporibus autem Hadriani, qui templum Veneri et Romae dedicavit, publicam auctoritatem adeptum esse videtur. Aeternitatis primum pignus ancile Numae temporibus caelo delapsum et Palladium a Romanorum atavo ex ardenti Troia ereptum habebantur. Quod epitheton semper usurpabatur et recenti quoque tempore appellationem, quae est »Roma aeterna«, pervulgatam esse constat. Rarius dicitur »aurea Roma« (Ovid. Art. am. III. 113; vid. P. Brandt a. h. l.); Mart. IX. 59, 2; cf. Ausonius el. urb. 1: »Prima urbes inter, divum domus, aurea Roma«. Etiam epitheton »sacra« solemne factum est, id quod ex inscriptione »urbis sacrae regiones XIV« elucet[3].

Monendum etiam ab omnibus fere Augustei aevi scriptoribus Romam »orbis terrarum caput« (Liv. I. 16, 6); »orbis caput« (Ovid. Fast. V. 93);

---

[1] Cf. Casim. Morawski, Zur Rhetorik b. d. röm. Schriftstellern, Philolog. vol. 54, p. 145 sqq.

[2] Cf. Ovid. Fast. III. 72 et Vergil. Aen. I. 276 sqq. Vid. G. Némethy ad Tibullum II. 5, 23.

[3] Cf. L. Friedlaender, Sittengeschichte Roms. I[3]. p. 74 sq.

»caput triumphati orbis« (Ovid. am. I. 15, 26); »immensi caput orbis« (Ovid. Met. XV. 435); »caput rerum« (Ovid. Met. XV. 736); »dominam« (Hor. carm. IV. 14, 44); »dominam terrae« (Ovid. Fast. IV. 831; Epist. IV. 5, 7; Am. II. 14, 16; rem. am. 291); »dominam rerum« (Ovid. Met. XV. 447); »principem urbium« (Hor. carm. IV. 3, 13) appellari.

Urbes saepe epitheta a deis, conditoribus vel regibus accipere, ut «Cecropias Athenas«, »Cadmeas Thebas« vel »Agamemnonias Mycenas« afferam, notum est. Huc spectant nonnulli Romanae urbis tituli: Romulea (Ovid. Fast. V. 260); cf. Romula tellus (Verg. Aen. VI. 876); Martia (Ovid. Tr. III. 7, 52; Epist. I. 8, 24; IV. 9, 65); magna urbs Mavortis (Verg. Aen. VI. 872); Dardania (Ovid. Met. XV. 431; Sil. Ital. Pun. IV. 782: »Urbis Dardaniae muris«; XV. 453: »Magnum Dardaniae (= Romae), Laeli, decus«; ceterum cf. ind. nom. in edit. L. Baueri vol. II. p. 208 sq.); Troica (Prop. V. 1, 87); Saturnia (Ovid. Fast. VI. 31; cf. »Salve, magna parens frugum, Saturnia tellus, magna virum« (Verg. Georg. II. 173).

Non praetereunda esse puto nitida vocabula, quae sunt: beata (Hor. carm. III. 29, 11); incluta (Enn. Ann. 494; Verg. Aen. VI. 781); regia (Hor. Epist. I. 7, 44); bellatrix (Ovid. Tr. II. 321); victrix (Ovid. Fast. IV. 389; Tr. III. 7, 51; Epist. IV. 3, 46); pulcherrima (Verg. Georg. II. 534; Ovid. Epist. I. 2, 83); magna urbs (Ovid. Epist. IV. 5, 20); magna (Ovid. Tr. I. 1, 59; Hor. Sat. I. 5, 1); maxima (Prop. V. 1, 1; Verg. Aen. V. 600); maxima rerum (Verg. Aen. VII. 602); superba (Prop. IV. 12, 60); laeta (Ovid. Ep. II. 1, 58); carissima

(Prop. I. 8, 31); placida urbs Quirini (Ovid. Tr. I. 8, 37); alta urbs Quirini (Ovid. Tr. I. 3, 33); alta (Verg. Aen. I. 7; Ovid. art. am. III. 337); potens (Hor. Epist. II. 1, 61); Ausonia urbs (Ovid. Epist. IV. 8, 86); cf. Ausonia terra (Verg. Aen. VI. 807); felix prole virum (Verg. Aen. VI. 784)[1]; cf. Latium felix (Hor. carm. saec. 66); Latium pulchrum (Verg. Aen. IV. 432); Roma ferox (Hor. carm. III. 3, 44); Latium ferox (ibid. I. 35, 10).

Ovidius appellat Romam dignam sedem, quam omnes dei teneant: »Dignus Roma locus, quo deus omnis eat«. (Ovid. Fast. IV. 270); id. Tr. I. 5, 70: »Imperii Roma deumque locus«. Quem laudandi morem posteriores quoque scriptores servare perspicuum est. Rutilius Namatianus Romam »genetricem hominum genetricemque deorum« (De reditu suo I. 49) atque »reginam pulcherrimam mundi« (ibid. I. 47) appellavit. Quod autem apud eundem poetam Roma »orbis altrix« (I. 146) dicta est, hoc Graecam locutionem: *Ῥώμη ἡ κοσμοτρόφος* (cf. Friedländer, Sittg. I[8] p. 23) in mentem revocat. Accedunt epitheta, quae adhibuit Claudianus: »Armorum legumque parens, quae fudit in omnes || Imperium primique dedit cunabula iuris« (De consulatu Stilichonis III. 137 sq.) et Ammianus Marcellinus »virtutum omnium domicilium« (XIV. 6, 21)[2]. Denique liceat mentionem facere epithetorum, quae Aristides in oratione »*εἰς Ῥώμην*« in medium protulit. Quibus significare voluit Romam non solum homines, sed etiam divitias undique

---

[1] Vid. E. Norden, ad Verg. Aen. VI. 784.

[2] Cf. Rut. Nam. de red. suo I. 9 sq.: »Semina virtutum demissa et tradita caelo | Non potuere aliis dignius esse locis«.

confluxisse: *τὸ κοινὸν ἀνθρώπων ἐμπόριον* (7); *ἡ κοινὴ τῶν ἐν γῇ φυομένων διοίκησις* (7); *κοινὸν τῆς γῆς ἐργαστήριον* (11); *κοινὴ ἀγορά* (60); *κοινὸν τῆς γῆς ἄστυ* (61); *μεγάλη πόλις* (3); *μία ἀκρόπολις* (61).

Ceterum Romanam urbem »*τῆς οἰκουμένης ἐπιτομήν*« ante Aristidem Polemo[1] dixit, qui fortasse simili modo atque Aristides Romae celebrandae gratia orationem habuit. Nihil aliud significat Flori »orbis terrarum conciliabulum« (Dial. Vergil. orator an poeta p. 183 Rossb.), vel Martialis »mundi conventus« (VIII. 4, 1).

---

[1] Galenus XVIII. a. 347; Athen. I. 20 B; vid. L. Friedlaender l. c. I[8]. p. 23.

Philippi Callimachi carminum ineditorum particula.

Proposuit

Ludovicus Piotrowicz.

Philippi Callimachi Geminianensis, de cuius vita ingenioque H. Zeissbergius [1]) et professor Casimirus Morawski in Historia Universitatis Iagellonicae [2] uberrime et perquam subtili iudicio disputavit, tria carmina versibus phalaeciis composita editurus sum ope codicum a Stanislao Windakiewicz et Adamo Miodoński excussorum: Vaticani 5156 (B), Vaticani 2869 (D), Barberini 1731 (E) et Parmensis 327 (C). Atque memoriam eorum ita in usum meum converto, ut potissimum libros B et C sequar, quorum auctoritas praestantior esse videtur [3].

Quod primum locum obtinet, carmen »Ad sodales« scriptum, anno 1470 exeunte non multo

---

[1] Zeissberg, Die polnische Geschichtschreibung des Mittelalters. Leipzig 1873.

[2] Cas. Morawski, Hist. Uniw. Jagiell. 1900, p. 133 sqq.

[3] Cf. Adamus Miodoński, Phil. Callimachi et Gregorii Sanocei carminum ineditorum corollarium. Cracoviae 1904, p. 6 sqq.

post, quam poeta Leopolim pervenerit et amorem Fanniae sibi conciliaverit, aut 1471 ineunte ortum esse puto, nam initio anni 1472 Cracoviam ad filios Casimiri regis litteris Latinis instituendos profectus est, in carmine autem ipso desiderium »Ausonii caeli« cernitur. Ad idem fere tempus carmen secundum et tertium, quibus Callimachus amorem suum persequitur, spectare videntur. Illud ad Catulli exemplum[1] conformatum esse primo obtutu manifestum est. Cuius rei ipsum poetam conscium fuisse apparet, cum in initio carminis »Catullianum passerem« in memoriam revocet et lacrimis Lesbiae pro mortuo passere profusis iocos et risus, quos Fanniae vivens avis excitet, opponat.

Ex Catullo quoque prior pars tertii carminis imitatione expressa est. Cui enim, cum carmen hoc legit, in mentem non venit Catullianum illud: »Da mi basia mille, deinde centum«[2]?. Pars altera vero, in qua poeta animam suam in corpus puellae transeuntem, dum oscula inter se iungunt, cogitatione fingit, versiculos incerti auctoris II. post Chr. saeculi in memoriam reducit[3]:

> Dum semhiulco savio
> meum puellum savior
> dulcemque florem spiritus
> duco ex aperto tramite,
> anima aegra amore et saucia
> cucurrit ad labias mihi,
> rictumque in oris pervium

---

[1] Cf. Cat. II et III.

[2] Cat. V, 7 sqq.

[3] Cf. L. Müller: Claudii Rutilii Namatiani de reditu suo libri II. (Lipsiae 1870) p. 53 sq.

et labra pueri mollia,
rimata itineri transitus,
ut transiliret, nititur.
tum si morae quid plusculae
fuisset in coetu osculi,
amoris igni percita
transisset et me linqueret,
et mira prorsum res foret,
ut fierem ad me mortuus,
ad puerulum intus viverem.

In quos versus amicus quidam Gellii[1] »licentius liberiusque« hoc distichon Graecum vertit:

τὴν ψυχὴν Ἀγάθωνα φιλῶν ἐπὶ χείλεσιν ἔσχον·
ἦλθε γὰρ ἡ τλήμων ὡς διαβησομένη.

I.

Ad sodales.

Quid me flebilibus putatis actum
Fatis Ausonio carere caelo?
Non, ut me patria domo vagantem
Extorrem, profugum, indigum teneret,
Irata est mihi siderum potestas: 5
Sed sic instituit pater deorum,
Ut me basiolis suis bearet
Et vivum faceret subire caelum
Per me Fannia nobilis futura
Et plus quam Scythicis legenda in oris. 10

---

[1] Cf. Gell. Noct. Att. XIX 11.

I. Carmen extat in cod. B fol. 18^v—19^r; C fol. 14^r; D fol. 55^v; E fol. 25^r.

II.

De passere Fanniae.

Quot fletus moriens Catullianus,
Tot risus ciat et iocos subinde
Vivens passerulus meae puellae.
Nam cum sit solitus, sua valente
5 Hera, per varios modos canore
Concentus premere ac levare vocis
Mecumque ex cavea libens iocari
Ac parvo digitos fricare rostro,
Nunc caput minime hinc et inde versat,
Non aegram dominam canens salutat,
Sed maestus cavea silet, quiescit,
Illinc non pedibus nec ore pendens:
Torquetur dominae dolore passer
Maeretque immeritum notasse febrem
15 Vultum, qui roseae deae quadrigas
Vincebat rutilo prius colore.
Crudeles superos miser vocaret,
Si linguis volucrum daretur usus,
Quo possent hominum referre voces.
20 Tam bella domina nefas carere
Ducit passerulus, morique mavult
Et tegi pariter sepulcro in uno.

II. Usus sum cod. D fol. 58r—58v; E fol. 10v || 2 ciat et] habeat E || subinde] sc. cum Fanniae sanitas restituta erit, nunc enim propter eius valetudinem maestus silet (9 sqq.). Hoc modo ipse poeta optat, ut puella mox convalescat || 3 pāssĕrŭlus] metri causa positum pro pāssērcŭlus || 5 per varios modos canore] perpetuum melos movere E || versus 6—7 desunt in cod. E || 8 digitos fricare rostro] cf. Cat. II. 3—4 Quoi primum digitum dare adpetenti | Et acris solet incitare morsus || 9 nunc caput minime] nuper non caput E.

III.

Ad Fanniam Suentocham.

Da septem mihi basiationes,
Da centum totidemque, Fanniella,
Da mille undecies, columba quales
Conserto solet integrare rostro.
Lascivis mihi morsicanda praebe 5
Dentibus labra et invicem remorde,
Et lingua humidula, Panchaicaeque
Quod merces redolente, lusitemus,
Donec spiritulus meus relicto
Invisi sibi corporis calore 10
In corpus veniat tuum per ora
Et vivas animis subinde binis.
Namque te magis appetit negatque
Mecum spiritus iste mansitare.

III. Codices: B fol. 19v; C fol. 14v; D fol. 60v; E fol. 19v || Suentocham (in inscriptione) om. D et E || 1 septem mihi] mihi septem D, E contra metrum || 4 integrare] implicare D, E || 7—8 Panchaicaeque quod merces] Oriensque quicquid producit D; cf. Ps. Tibull. (Lygd.) III 2, 23 sq.: Illic, quas mittit dives Panchaia merces | Eoique Arabes pinguis et Assyria || 9 spiritulus] vocabulum novicium || 10 calore] recessu D || 11 corpus] pectus D.



De aliquot Cracoviensis Musei principum Czartoryski monumentis.

(Tab. I—XI).

In eodem Museo principum Czartoryski, quod ad res gestas Poloniae illustrandas et artium ingenuarum historiam investigandam tot tantaque monumenta praestat, duo extant conclavia Graecis, Romanis atque Etruscis sculpturis, scalpturis picturisque nec non vasis fictilibus, aëneis et vitreis, porro insignibus aureis, gemmis, titulis referta ac paene scatentia. Longum neque meum est omnes rerum rationes et vicissitudines, quibus tandem Museum Cracoviense natum sit, hoc loco enarrare et explicare; facere tamen non possum, quin pauca, quibus ad sequentia recte intellegenda opus sit, proferam. Itaque »Antiquarium« Musei continet monumenta Graeca et Romana numero circiter septingenta, quae saeculo undevicesimo congesta erant. Atque primordia huius apparatus nimis erant exigua. Fundamentum iecerunt Adamus princeps Czartoryski et uxor eius singulari praedita sapientia, Isabella de Flemming. Qui a cognatis et amicis adiuti annis 1797—1809 in villa dicta Puławy in aedibus, quas »gothicas« nuncupaverunt, praeter permulta vernacula monumenta etiam nonnulla lapidum et tegularum antiquarum fragmenta ex Italia, imprimis ex urbe

Roma profecta collegerunt muroque »romano« includenda curaverunt. Quae frustula, mox aliquot parvis signis aucta in indice ab Ignatio Kozłowski composito (»Poczet pamiątek zachowanych w domu gotyckim w Puławach«, Warszawa 1828) enumerantur. Erant autem haec: Nr. 42—47, 49—71, 73—79, 81—101, 106—110, 115—117, 122—123, 133, 135—137, 143—144, 151—152, 158—160, 614, 665—672, 1304, 1370, 1559 (?). Tum rebellione a. 1831 coorta, cum naufragia late per Poloniam traherentur, quae quidem ex Pulaviana supellectile ab rapinis vastationibusque Russorum sunt servata, partim in Castellum Sieniawa appellatum, partim in praedium Podzamcze prope Varsoviam translata, cetera vero Lutetiam Parisiorum asportata ibique mox in aedibus vulgo »Hotel Lambert« nominatis collocata sunt. Qui thesaurus ut augeretur, locupletaretur, amplissimumque nomen consequeretur, cum filii conditoris tum praecipue nepotis eius, Vladislai principis Czartoryski opera factum est, qui ex sede sua, quam Lutetiae Parisiorum habuit, Londinium commeabat et saepissime in Italia, Austria, Germania meridiana versatus, ubique eximia peritia et iudicio usus, nova artis opera sive ab rerum veterum venditoribus — in quorum numero imprimis Rollin-Feuardent, Parisini nominandi sunt — sive in publicis auctionibus acquirendo parabat. Itaque illius aetatis homines artium liberalium studiosissimi, velut de Janzé, Pourtalès, La Fontinelle, van Branteghem, d'Amazeuil, d'Angerville, Gréau, Piot — Parisini; Vecchietti, Toscanelli — Florentini; de Caiano, Castellani — Romani, denique d'Azeglio, Londiniensis novam fere cotidie principis Vladislai

studio suppeditabant materiam. Antiquae artis opera praecipue inde ab a. 1863/4, plurima tamen post annum demum 1876 parari coepta sunt, quo anno ex principis sententia omnia naufragio patriae erepta monumenta Parisiis Cracoviam revecta et hic cum aliis, quae olim in Sieniava et Kurnik asservata erant, in Museum et bibliothecam principum Czartoryski quasi in unum corpus redacta sunt [1]. Sed quoniam spectatissimus possessor ipse thesauri sui indicem conficere volebat, neque annum neque locum, quo singula signa empta vel effossa essent, cum iis, qui Musei Cracoviensis curam sustinebant, communicavit. Praematura morte a. 1894 abreptus propositum suum non peregit, quo factum est, ut nunc rerum origo et memoria saepissime erui non possit. Cum tamen antiquae artis monumenta ad Graecorum et Romanorum vitam illustrandam tanti sint momenti, Seminarii archaeologici sodales adduxi, ut Musei, de quo agitur, omnia monumenta pro viribus illustrare aggrederentur. Priusquam, quae instituimus, absolvamus, has primitias conaminis nostri Tibi, vir eximio pulchri sensu praedite, offerimus.

[1] Ab hac collectione distinguenda est alia, olim quoque in aedibus Lambertinis asservata, sed Ioannis comitis Działyński sumptibus et consilio instituta. Quae copia post obitum comitis ab vidua eius ingeniosa, principis Ladislai sorore multum locupletata, nunc in castello Gołuchów prope Posnaniam invenitur. Quae monumenta commentario adumbravit De Witte in libro, qui inscribitur: Description des collections d'antiquités conservées a l'Hotel Lambert (Paris 1886). Antiquarii Goluchoviensis indicem composuit W. Froehner, duobus voluminibus comprehensum: Collections du chateau Goluchow 1) L'orfévrerie antique (Paris 1897), 2) Antiquités (Paris 1899). Quae tamen volumina in librarium commercium non devenerunt.

a) De Veneris pudicae simulacro.
(Tab. I—II).

Truncus Veneris marmoreus [1], prope Neapolim repertus, Cracoviam a. 1889 delatus est, ubi inv. numero 1156 notatur. Altus cum plintho 1·685 m, sine plintho 1615 m. Ipsa statua cum plintho quadriangulo (0·58 × 0·45) et Amore, qui in concitato delphino per undas vehitur, una marmoris massa efficta est. Atque deam sinistra manu partem pudendam, dextra autem mamillas obtexisse, tum digitorum reliquiis, quae in sinu et gremio conspiciuntur, tum palma sinistra olim affixa, nunc in armario Musei asservata demonstratur. Cuius effigiei pes quidem dexter vetus est, inferius tamen crus dextrum recenti tempore parum congruenter suppletum; sinistrum vero crus fractum est, sed genuinum parvo frusto excepto, quod infra genu invenitur. Etiam Amoris brachiolum dextrum cum flagello olim defractum, nunc recompositum est; caput vero eius et delphini extrema cauda, quae deae femori adhaerebat, decussa sunt. Brachium dextrum Veneris duobus adminiculis quadriangulis, quae adhuc extant, sustinetur, similesque fulturas sinistro brachio non defuisse in propatulo est et exiguis vestigiis, quae adhuc

[1] marmor candidum, fortasse Parium, crassis passimque micantibus granis distinctum.

restant, probatur. Quae cum ita sint, facile intellegemus, statuam a dextra parte clara luce illustrandam esse ita, ut statumina omnino lateant. Itaque lumine ab hac parte admoto Venerem delineandam curavi, aegre tamen fero, me propter locorum angustias rem hac tantum ratione perficere potuisse, ut dea non a fronte, sed ab obliquo in conspectum veniat atque crus dextrum gracilioris sinistro prae se ferat speciem.

Signum Cracoviense deam nudam eodem corporis habitu repraesentat, quem Veneres ubique terrarum celebratae, Mediceam et Capitolinam dico, ostendunt, nisi quod artis subtilitate inferius habendum est. Statura et formarum amplitudine proxime accedit ad Capitolinam, Amorem vero delphino insidentem cum Medicea habet communem. In universum artifex, qui exemplar Cracoviense confecit, posterioris aetatis consuetudinem iudiciumque secutus est, quippe qui in dea conformanda mammarum ubertatem nec non gremii et coxarum plenitudinem, qualis in signo Capitolino nondum cernitur, ad exemplum viventis cuiusdam feminae expressisse videatur. Qua cum rotunditate superioris quoque corporis proportiones congruunt, quae in hoc signo paulo maiore mensura redduntur, quam in Capitolino. Iugula concava ab summa Veneris montis linea distant in statua Crac. 0·525, in Cap. 0·515 m. Inter papillas relinquitur spatium in Crac. 0·225, in Cap. 0·22 m. Sinistra papilla remota est ab umbilico intervallo in statua Cracoviensi 0·24, in Capitolina 0·235 m.

Neque quemquam fugere potest, simulacra, de quibus dicitur, crurum rationes diversas prodere.

Cum enim in Medicea et Capitolina inferior corporis pars cum superiore optime congruit, in signo Cracoviensi crura nimis longa apparent et intervallum, quod inter plinthum montemque Veneris intercedit, maius est, quam in statua Capitolina. Plinthus ab summo monte Veneris distat in statua Cracoviensi 0·985, in statua Capitolina 0·94 m.

Restat, ut moneam, Venerem Cracoviensem minus esse pronam et proclinatam Capitolina et Medicea. Iam si accuratius omnia consideraverimus discrimina, quae modo enumeravi, aut diversa posteriorum temporum indole explicari posse, aut statuam Cracoviensem olim depresso loco ita collocatam esse coniecerim, ut ex aliquo superiori pulvino intuentibus et brachiorum statumina occultarentur et ipsa crura deae breviora comparerent. Si tamen ab hac differentia abscesseris, de ratione effingendi hoc libere dicendum est signum summa arte eximioque studio et diligentia etiam in parte aversa formatum esse. Equidem a graeco quodam Augusteae aetatis sculptore confectam esse crediderim.

Omnes viri docti consentiunt, duo illa clarissima Veneris simulacra, Mediceum et Capitolinum, ex quibus cetera perfecta et secundaria pendent, ad eiusdem incluti archetypi aënei, quod temporis iniuria periit, similitudinem expressa esse. Discrimina, quae inter ea intercedunt, haud magni momenti et inde potissimum orta esse videntur, quod qui archetypon imitando effingere conati sunt, ad suum quisque arbitrium et consilium immutabant et accommodabant. Quo factum est, ut dea alias puellae tenerae viginti annorum,

alias mulieris tricenariae imaginem eamque modo iustam mensuram exhibentem, modo iusta maiorem vel minorem praeberet. Quae insuper Veneris cruri sinistro apposita videmus, delphinum dico solum, aut uno vel duobus Amoribus instructum, vas denique aut veste velatum aut nudum, a posterioris aetatis opificibus ad ipsorum voluntatem adiuncta esse crediderim. Neque est quod infitieris, additamentis, quibus marmoreorum signorum crura sustinerentur, archetypon ex aere fusum prorsus carere potuisse eaque adeo fuisse supervacanea, ut etiam aliquot marmoreis exemplis desint.

Veneris pudicae exemplaria marmorea triginta annis abhinc Bernoulli (Aphrodite p. 227 sq.) sex et sexaginta enumeravit. Quo quidem numero statuam illam primigeniam cuiusdam insignis artificis opus fuisse demonstratur. Itaque Adolphus Furtwängler (Meisterwerke p. 643 sq) Praxitelis filios, Cephisodotum iuniorem ac Timarchum, Guilelmus Klein vero (Praxiteles p. 276; Praxit. Studien p. 32; Gesch. d. gr. Kunst II. 399—401) Cephisodotum solum auctorem nominat. Quam coniecturam neque probari neque refutari posse recte sane, qua est prudentia et sagacitate, Maximus Collignon (Histoire de la sculpture grecque II. 641) monuit.

Rem adhuc primoribus, ut dicitur, labris attactam Arturus Mahler diligenter tractavit (Comptes rendus de l'Académie des Inscr. et Belles Lettres 1905, p. 623 sq.; cf. Revue archéol. 1903, vol. II. p. 33 sq.) et stili affinitate indiciisque epigraphicis adductus est, ut Veneris pudicae simulacrum cum Lysippi arte cohaerere existima-

ret. Deae enim et corporis partem superiorem inclinatam distortamque et brachiis protentis thoracem simili modo coangustatum videmus atque in Lysippi iuvene se destringente, qui vulgo Ἀποξυόμενος appellatur. Quid, quod etiam vultum Veneris Mediceae ad similitudinem statuae Dresdensis, vulgo »magna Herculanensis« dictae et a S. Reinacho (Rev. arch. 1900, vol. II. p. 380 sq.) Lysippo assignatae proxime accedere A. Mahler opinatur. Sed ne aperta quidem Lysippeae originis indicia deesse vir doctissimus censet. Praeclarus quidem sculptor, Laurentius Ghiberti tertio libro Commentariorum anno 1348 Sienae statuam antiquam repertam esse refert, in cuius basi Lysippi nomen exaratum esset. Ad pedes huius signi, scilicet cruri, quo corporis onus sustinebatur, adiunctus erat delphinus. Quod simulacrum ita civibus placuit, ut in foro ad aquam salientem exornandam statueretur. Attamen cum mox Siena gravissimis cladibus a Florentinis afflicta esset, primores notum fecerunt poenas ab improbis civibus petitas esse, qui indecoro et gentili signo nimiam reverentiam honoremque praestarent. Placuit igitur statuam diffringi et dissipari fragmentaque eius furtim in hostili Florentinorum agro defodi. Quod revera factum est a. 1357.

Ghibertius — id quod sane dolendum est — memoriae non prodidit, quam imaginem statua Sienensis exhibuisset, in universum tantum hermaphroditi simulacro, quod simul cum aliquot aliis signis eodem loco effossum erat, non dissimilem eandem fuisse et delphinum attributum habuisse refert. Quo indicio nisus Conradus Lange (Über das Motiv des aufgestützten Fusses p. 31)

hoc simulacrum Neptunum Isthmium fuisse a Lysippo sculptum coniecit. Qua opinione suo iure reiecta A. Mahler statua Sienensi Venerem pudicam repraesentatam fuisse demonstrabat, praesertim cum ea potissimum imagine verecundia et modestia civium laedi potuisset.

Atque casu et fortuito paucis mensibus ante eandem cum Mahlero sententiam Iulius von Schlosser aperuit in doctissima dissertatione, quam annali (Jahrb. der Sammlungen des Allerhöchsten Kaiserhauses, vol. XXIX. p. 141 sq. Wien, 1904) inseruit. Itaque vir clarissimus, quem argumenta a Mahlero prolata minime latuerunt, Veneris Lysippeae a Sienensibus effossae vestigia etiam in operibus quarti decimi saeculi deprehendi posse existimat. Velut in museo Pisano aëneum signum »donna Pisa« appelatum extat, quod quattuor mulieres, virtutes primarias repraesentantes, sustinent. Quarum una Prudentia dicta omnino nuda Veneris pudicae habitum prae se fert. Quem mirum atque singularem consensum ita ex Schlosseri sententia facillime explicabimus, ut Pisani signi artificem in opere formando pulcherrimam, nuper Sienae effossam statuam imitandam sibi proposuisse autumemus. Addendum denique, id quod ipse A. Mahler profert, Veneris pudicae imaginem Romanorum temporibus Sicyonis nummis, in quo oppido Lysippus natus erat, incisum esse. Cf. Archäolog. Zeitung vol. XXVII., tab. 23,7.

Schlosseri et Mahleri coniectura a quibusdam viris doctis, qui eandem rem in quaestionem vocaverunt, mirum quanto studio probata est. Salomoni Reinach quidem ita placuit, ut ea innisus in opere suo: Recueil de têtes antiques (p.

146) varias Veneris formas et typos distinguere studeret. Nihilominus tamen illa ratiocinatio non omnibus numeris absoluta mihique dubitationi obnoxia esse videtur. Inprimis temerarium mihi videtur asserere delphino ad pedes simulacri posito Venerem pudicam imagine hac expressam esse. Delphinum enim cum mare significet ad omnes maritimos deos referri posse constat. Non solum enim Neptunus et Venus, sed etiam Amphitrite, Thetis, Galatea, Amymone Nereidesque delphini imagine designari et quodammodo adumbrari solebant. Conf. Bernoulli, Aphrodite p. 371—2, 375—6; Antiquités du Bosph. Cimm. vol. XVII, 7; Furtwängler Ant. Gemmen tab. 64, 77; 30, 29 (?). Quae pelagi nymphae cum temporibus Alexandrinorum aut prorsus nudae, aut superiore saltem corporis parte denudata repraesentarentur, artissimo similitudinis vinculo inter se et cum Venere iunctae erant, qua re facile fieri potuit, ut viris severis restrictaeque frontis inhonestae et hermaphroditis consimiles esse viderentur. Equidem non dubito, quin signi Pisani artifici imago quaedam Veneris pudicae obversata sit, quamquam dici non potest, quodnam exemplar secutus sit, praesertim cum nec nomen sculptoris nec originem ipsius noverimus. Huc accedit, quod ars Etrusca et Romana parvis Veneris pudicae statunculis ad fibulas, aurium insignia, alia toreumata adornanda uti consueverat (conf. Milani, Strena Helbigiana p. 193 sq.). Cuius generis res et Pisano artifici exemplum imitatione exprimendum suppeditare potuisse non est quod negetur. Etenim artioris cuiusdam affinitatis indicia, quibus Venus pudica et »Prudentia« Pisana coniungantur, prorsus desunt.

Quibus perpensis, cum statuam Sienensem Veneris pudicae imaginem praebuisse pro certo evinci non possit, nullam esse causam apparet, cur commune Mediceae et Capitolinae archetypon ad Lysippum ipsum referatur. Neque aliae rationes a Schlossero et Mahlero prolatae opinionem eorum probabilem reddunt. Quod enim nummis Sicyoniis figura Veneris pudicae est insculpta, inde similem imaginem aetate Romanorum Sicyoni exstitisse rectissime colligi potest, minime autem illam Lysippi opus fuisse.

Quod ad stilum Veneris pudicae pertinet, egomet ipse notas quasdam Lysippeae artis manifestas esse concedo iisque thoracis inclinationem, brachia protenta et coangustata nec non totum consistendi modum adnumeraverim. Attamen illam similitudinem nihil moror, quippe quae hoc tantum significet, hanc statuam positam esse aetate a Lysippo proxima, qua magistri praecepta iam divulgata essent. Caput enim Veneris Mediceae, quod ad oris lineamenta et crines singularem in modum collectos attinet, tam arte cum eiusdem deae capite Leconsfieldiano, a Furtwänglero (Meisterwerke tab. XXXI) communi consensu Praxiteli vindicato cohaeret, ut sculptorem saltem in hac re Praxitelis vestigia pressisse recte suspicari possis.

Quibus adductus duas explicandi rationes propositurus sum. Artificem scilicet aut Lysippi discipulum fuisse et corpus arte a magistro percepta formatum capite Praxitelio exornasse, aut Praxiteli quidem scholam frequentasse, multa tamen a Sicyonio statuario mutuatum esse elucet. Cum vero sculptoris ingenium praecipue in capite formando

et vultu effingendo apparere soleat, posteriorem opinionem secutus Veneris pudicae archetypon cuidam Praxitelis alumno ingeniosissimo, qui exeunte quarto vel ineunte tertio saeculo a. Ch. floruit, adsignandum putaverim. Cui sententiae id favere videtur, quod mulierum statuae Lysippo vindicatae austeritatem quandam et doricam, quae dicitur, severitatem redolent, contra nostro signo quaedam gratia atticae venustatis et voluptatis aperta nota inest. Sed utut est, varia illa ac diversa elementa in nostro signo concinne mixta sive composita et consociata esse patet ita, ut inde suavissima illa mulieris nudae imago, insigne artis Graecorum decus et lumen, in medium prolata sit.

---

b) De duobus speculis Graecis.

(Tab. III, IV *b*).

Pyxidum caelatarum, quibus rotunda specula Graeca conservabantur, duo solum extant exempla venustate conspicua.

Una aenea (inv. nr. 1280), Lutetiae Parisiorum circa a. 1890 acquisita, per medium 0·155 m. occupans, 0·008 m. sine ectypo, 0·025 m. cum ectypo alta, speculum complectitur, cuius adversa pars prorsus polita, aversa aliquot orbibus circum commune punctum ductis exornata est. Posterius pyxidis latus nunc desideratur, anterius tenuissima lamina caelata, olim affixa, nunc soluta decorat.

In qua duas videmus figuras oppositas, quarum unam Aegipana repraesentare primo aspectu cognoscimus. Humi pedibus posterioribus positis

tamquam pecus conquexit. Crura et coxae eius (nam cauda extrema decussa est) manifestam speciem hircinam reddunt; corpus quidem hominis sed gibberum, capillo recto et denso, vitta colligato, auribus argutis, nasi cacumine propendenti, labiis crassis et demissis, ossibus faciei prominentibus, barba hirsuta. Sinistrum brachium in genu posuit, laeva autem manu demissa rem quandam triangularem, astragalo simillimam tenet et oculis intentis manum adversae mulieris similem astragalum ostendentis contemplatur. Quae mulier in rupe ita consedit, ut capite et corporis parte superiore inclinatis brachioque dextro in rupem innisa Aegipana intueretur. Crura tantum feminae pallio sunt velata, pedes nudi, crines vitta colligati et ita compti, ut aures paene obtegantur et in cervice nodus formetur; ex auriculis anuli oblongi dependent. Corporis formae tenerae et venustae pulchram produnt virginem ita, ut nympham eam habere posses, nisi Pan servilem in modum ad pedes eius sederet. Quibus efficitur, ipsam Venerem talis cum deo ludentem expressam esse. Ecce Pana brevi astragalum missurum vides, simulatque dea suum talum iecerit.

Speculum nostrum formatum est ab aliquo artifice operum, quorum argumenta non ex mythologia, sed ex vita cotidiana petita erant. Quod si reputaveris, deos non seria agere, sed ludendo tempus terere, toreuma hoc non ante saeculum quartum factum esse facile tibi persuadebis. Cui sententiae id suffragatur, quod Venus cum Aegipane, qui Bacchum comitari consuevit, in conspectum venit. Nam exeunte demum saeculo quinto Bacchi et Veneris comites promiscue atque adeo

in unum confusi apparent. Quartum saeculum etiam eo indicatur, quod Venus seminudo corpore in scaenam prodit, id quod ab saeculi quinti consuetudine abhorret. Conf. De Ridder, Monum. et mémoires E. Piot vol. IV., p. 90 sequ. Quin etiam ipsa formarum deae proceritas, parvum caput vultusque habitus demonstrant, saeculi quinti artis praecepta et leges neglectas esse. Itaque nasus non in frontis linea positus est; mentum minus plenum, malae angustiores, collum brevius quam in figuris a Phidiae discipulis provenientibus. Motus quidem utriusque figurae affabre expressus est, verum extremas earum lineas non certa atque perita manu, qualem in anaglyphis atticis quinti saeculi admiramur, ductas esse apertum est. Immo in ectypo nostro quasi parum sibi constantem et simplici naturae accomodatam effingendi rationem deprehendimus, quae manifestas saeculi quarti notas prae se fert. Idem quoque de loco, in quo ludus deorum agitur, statui potest. Artifices saeculi quarti ineuntis, nedum saeculi quinti figuras ita ponere solebant, ut spatii naturalis nullam haberent rationem, in hoc autem opere sunt quaedam, quae ad regionem circumiacentem pertinent ideoque Alexandrinae artis indolem in memoriam revocant. Rupes quidem, in qua dea sedet, ad naturae exemplum formata est; post Panis tergum arbustum quoddam expressum est, ex quo syrinx novem tibiis composita pendet. Huc accedunt humerus lacertusque sinister deae haud apte corrotundatus et brachium dextrum nimis longum. Itaque manifestum est ab artifice totam imaginem non ex uno eodemque loco, ut par esset, sed ex duabus diversis partibus spectatam et deli-

neatam fuisse. Quo factum est, ut figurarum lineae propriam speciem non prae se ferant. Quarum rerum peritia cum Alexandri Magni aetate iam divulgata et fere omnino accepta esset, ectypum nostrum ante hoc tempus caelatum esse verisimile est.

Venerem ludi talorum studiosissimam fuisse saepiusque Pana sibi socium adscivisse, ex multis veterum testimoniis elucet atque a Riddero, qui de ea re egit (Bull. de corr. hell. XXIII, p. 317 sq.) affatim probatum est. Ex artis operibus, quae hic pertinent, gravissimum est speculum Graecum in museo Britannico asservatum (Walters, Cat. of bronzes n. 289), incisum, non caelatum et Cracoviensi speculo antiquius, siquidem initio saeculi quarti confectum est. In ceteris utrumque toreuma et figurarum dispositione et stili quadam affinitate, quae non minus ad materiam tractatam, quam ad deorum formas refertur, tam arte coniunctum est, ut optimo iure communem fuisse fontem, ad quem uterque artifex rediret, opinari possis. Praeterea tamen tot tantaque exstant discrimina, ut Cracoviense speculum ex Britannico expressum esse nulla ratione concesseris. Contra animadvertendum est nonnullas res in Cracoviensi ectypo tamquam correctas et melius constitutas videri, quemadmodum ei faciendum erat, qui idem argumentum pluribus annis post denuo tractavit. Ut alia praetermittam, rotundum speculi spatium melius hic conversis, quam illic aversis figuris expletum est et tota imago ob hanc rem magis conclusa et velut corrotundata apparet. Quibus demonstratur speculorum graecorum opifices minime »servum pe-

cus imitatorum«, sed constantes sibi et ingeniosos magistros fuisse, qui omnem quaestionem, quae ad artem spectabat, libero iudicio expedire et ab aliis accepta meliora facere studuerunt.

Ad hoc speculum proxime alterum (inv. nr. 760) accedit, cuius ectypon in tabula adnexa exaratum est. Pyxis, ad quam pertinet, adhuc est integra. Per medium occupat 0·135, alta est cum ectypo 0·027 m. Speculum inclusum aversa parte similibus orbibus distinctum est atque illud. Lamina caelata quasi circumcisa videtur, ex quo ipso colligi potest eam posteriore dimidio saeculi quarti non esse antiquiorem (cf. Bull. de corr. hell. XXIV, 355). Hic quoque Venerem videmus in rupe more recepto conformata sedentem corporis parte superiore denudata, inferiore autem pallio prolixo, quo saxum quoque obtegitur, velata. Dextra deae manus in cubitum innisa limbum pallii labentis tenet, sinistra parvulum Amorem, qui in deae femore uno genu nixus, alterum extendens pennulas agitat et toto corporis onere se proclinat avolaturus, nescio quo modo sustinet. Qui parum simplex et artificiosus infantis motus vix intellegi posset, nisi in ipsius brachiolo protento res quaedam amplissima et gravissima, quam enixe amplecti conatur, extaret. Quam rem sive temporis iniuria consumptam, sive ab opifice non satis expressam ideoque certo explicari non posse dolendum est. Omnibus rationibus perpensis mihi persuasum est hanc rem nihil nisi situlam amplam et oblongam repraesentare. Cui interpretationi utraque pars vasis et corrotundata infra Amoris brachium obvia, et ea, quae multum prominens rostroque avis aperto haud dissimilis supra

— inter Amoris brachium et Veneris cubitum — conspicua est, optime favet. Situlae quidem non terrae aut mensis imponi, sed ex muro vel arbore suspendi solebant, cui rei ansa arcuata vasis margini superiori affixa inserviebat. Quem marginem labri instar proiectum in summa situla videmus; qui autem infra cernitur torulus, ista ansa mobilis, nunc demissa mihi esse videtur. Conformem situlam Amor incedens speculo cretico, quod in museo Britannico asservatur (Walters, Cat. of bronzes n. 292), incisus manu tenet. Similia vasa specula quoque Etrusca (Gerhard, Etr. Spiegel, tab. 40, 243) offerunt.

Quae cum ita sint, in speculo Cracoviensi Amorem a Venere adiutum, ut quam a matre accepit situlam, forsitan mundo muliebri instructam pulchrae cuidam feminae tradat, avolaturum exprimi elucet. Quid, quod similes deae et Amoris Amorumve lusus in multis antiquae artis monumentis effinguntur. Sed singula, quae eorum sunt propria, illustrare vel recensere hoc loco non possum. Itaque eas tantum imagines, quae cum Cracoviensi speculo maxime cohaereant, indicaturus sum. Nimirum in compluribus gemmis (Furtwängler, Ant. Gemmen tab. 37, 15, 16; 49, 17) Venus bacillum digito librat, quod parvulus Amor ut apprehendat, et alarum ope se tollit et brachiola tendit. In altera gemma (ibid. tab. 31, 31) dea filium citharae studio deditum alis tenet; in multis aliis (ib. tab. 37, 17; 34, 8; 43, 41) matrem cum ansere in rupe sedentem aut stantem Amores circumvolant et Cupidines. In speculo quoque Atheniensi (repr. Bull. de corr. hell. XXIV, tab. 36) eadem dea filium suum sagittas iacere docet. Quae opera, quo-

rum numerus facile augeri potest, non solum argumenti similitudine, sed etiam figurarum dispositione, rupe, Amore deaque conformandis, tota denique stili optimi affinitate tam arte inter se congruunt, ut illa ex antiquioris aetatis archetypis, forsitan ex picturis quarti saeculi, Amoris infantiam repraesentantibus pendere coniecerim. Distinguenda sunt certe alia specula (e. g. Bull. de corr. hell. XXIV, tab. 1 a; 26; Gazette arch. 1876, tab. 27; Walters, Cat. of bronzes, tab. IX a), quae quamquam in similibus argumentis versantur, quinti saeculi stilum redolent.

---

c) De capite mulieris atticae.

(Tab. IV *a*).

Caput feminae, de quodam monumento sepulcrali decussum, a Mariano Sokołowski, cuius studio et opera museum principum Czartoryski efflorescit, a. 1884 Athenis acquisitum est. Altum 0·23 m, latum 0·215 m. Marmor est pentelicum, pulcherrima aerugine oblitum. Quod quidem caput non statuae sed anaglyphi fragmentum esse eo potissimum demonstratur, quod crustae, cui caput inhaeret, frustum 0·035—0·043 m crassum adhuc extat. In auri ima, quae parvam et rotundam, Phidiacis signis propriam formam praestat, foramen anulo suspendendo aptum cernitur. Simile foramen — fortasse diadematis affigendi causa — in capillo exteriore eo loco, ubi sinciput reliquae anaglyphi parti adiacet, incavatum est. Iuxta dextrum oculum in crusta ipsa tres plica-

turae vestimenti cuiusdam, quarum lineamenta tantum designantur, expressae sunt. Quae cum ad huius feminae caput, quod certo non velatum erat, pertinere non possint, cuidam alteri figurae adstanti tribuendae sunt. Collatis similibus monumentis (Conze, Attische Grabreliefs n. 274—471, imprimis tab. 89, 104, 85, 73) figuram hanc ita pallio amictam fuisse probatur, ut illud a coxa dextra oblique ad cubitum sinistrum traheretur et hinc deflueret. Cuius quidem obliqui sinus plicae extremae in nostro fragmento conspicuae sunt, reliquum figurae corpus in anaglypho planissimo expressum, partim figura feminae, de qua agitur, obtectum erat. Ex iisdem plicarum reliquiis feminam nostram non stetisse, sed sedisse eiusque caput, non sicut in tabula adnexa formatum est, levatum, sed leviter inclinatum fuisse elucet. Denique ex eadem re in monumento, de quo caput Cracoviense deiectum erat, non solam mulierem, sed praeterea saltem duas personas simul repraesentatas fuisse colligi potest. Quibus efficitur monumentum illud exeunte saeculo quinto non fuisse antiquius. Quam opinionem hoc quoque probabilem reddit, quod oris lineamenta simplicissima optimaque arte efficta illam iustam tristitiam et modicam gravitatem produnt, quibus magnanimae tragoediae Graecae feminae nos iure meritoque commovent.

Petrus Bieńkowski.

II.

a) De statunculo militis.

(0·08 m altum cum basi).

(Tab. V *a* et *c*).

Inter signa aenea, quae in museo inveniuntur, oculis omnium offert se praecipue statua militis nudi casside cristata tecti. De clipeo, quod sinistra manu tenebat, ὄχανον solum restat, in dextra habebat hastam, id quod adhuc in palma servatis reliquiis demonstratur. Pes laevus paulum inflexus proicitur, dexter ita est retractus, ut vix ipsi digiti terram attingant. Tota effigies tamquam vividi et praesentis hominis militem quasi impetum adversi hostis a se defendentem significat. Ex habitu capitis et haud operta vultus parte colligi potest, militem diligenter super clipeum motus aggredientis hostis observare. Plane expressi musculi sinistri pedis, quo maxima ex parte corpus sustinetur, nec non fortiter terram premens planta firmum militis statum indicant, ita tamen, ut quocunque temporis puncto pondus in altero pede inniti posse videatur. In hoc iuvene tum sui suarumque virium fiducia tum venustas et pulchritudo corporis apparent, certe non sine quadam austera severitate. Ipsum opus quamquam longe ab optimae artis concinna elegantia abest, tamen

aliquem subtiliorem artificis sensum atque peritiam prodit, ut ex caelatura pectoris, papillis in eodem circulorum in modum incisis, ex ventris forma, in quo linea alba aperte distinguitur, denique ex tota ratione, qua artifex proximam inguinum partem conformavit, conspici potest. Atque nemo est, qui in hoc statunculo aliquam stabilitam aut prorsus obsoletam artificis consuetudinem conspicuam esse contendat.

Primo tamen aspectu inter hoc signum et Aeginetas ac praecipue primum bellatorem in Aphaeae aedis fronte, quae ad orientem solem spectat, a dextra manu Palladis stantem similitudinem quandam intercedere animadvertimus [1].

Neque negandum est statum corporis, pro statura nimis brevem truncum, rationem in manibus et ventre efficiendis manifestam, pedum musculos habitumque nobis in memoriam Aegineten, de quo supra diximus, reducere. Quibus inter se differunt, ea minimi sunt momenti: nimirum cassis nostri militis alio modo confecta est, vultus opertus, denique Aeginetes, qualis ex coniectura Furtwaengleri restitutus est, gladium tenet, hic miles sine dubio hastam habuit. Quae similitudo eius est generis, ut inde facile sequatur hoc statunculum initio quinti saeculi a. Chr. n. confectum esse.

Ad originem definiendam quod attinet, multum sine dubio hac in re tribuendum est comparationi cum signo Dodonaeo, quod nunc in museo Berolinensi invenitur [2]. Etenim modus quo statua

---

[1] A. Furtwaengler: Aegina, Heiligtum der Aphaia, Tafelb. tab. 105 et 106, München 1906.

[2] cf. Arch. Ztg. 1882 tab. I p. 23 sqq.; Olivier Rayet: Monuments de l'art gr. tab. 17; Max. Collignon: Histoire de la

efficta est, habitus pedum et laevae manus clipeo obtectae, galea Corinthiaca cum simili crista et iisdem *κυμβάχου* ornamentis, subviridis aerugo (nobis patina dicta), quae omnium artis Dodonaeae operum propria traditur [1], diserte demonstrant hoc quoque sigillum Dodonaeam indolem prae se ferre.

Neque quemquam fugit persaepe viros artis antiquae peritos censuisse militem Berolinensem Aeginetarum similem esse; eandem rationem inter monumentum Cracoviense et Aeginetas intercedere nos supra monuimus. Accedit igitur argumentum, quo communis origo nostri et Berolinensis militis comprobatur. Artifex in utroque opere efficiendo auctoritatem eorum secutus est, qui Aeginetas formaverant.

b) De Apollinis sigillo aeneo.

(Tab. V *b*).

Parvulum signum aeneum 0·075 m altum, incertae originis, imaginem, id quod primo obtutu intellegi potest, iuvenis nudi reddit, qui generi »Apollinum«, qui vocantur, adnumerandus est. Iuvenis laeva manus coxae innititur, dextra cubito inflexa praetenditur. Vultus paululum rudis ut ita dicam et vulgaris; subtiliter facti crines totam fere frontem tegunt, supercilia formam semicirculorum exhibent, oculi satis magni, labra

---

sculpture gr. fig. 166; Baumeister: Denkmaeler d. clas. Alter. fig. 2191.

[1] Carapanos: Dodone et ses ruines, Paris 1878 p. 30.

alte incisa, ossa in angulis elevata. Onus corporis utroque pede pari modo sustinetur ita tamen, ut iuvenis laevo pede procedere videatur. Dextra papilla non conspicua, laeva circulo insignita simili modo atque in supra descripto milite Dodonaeo. Venter pectusque neglegenter formata; melius expressi sunt musculi pedum. Inferior pars ventris circa inguen propter robiginem satis deleta. Aeruca, quae signum tegit, tenuissima et subviridis est.

Ex his, quae dicta sunt, patet sigillum hoc ad aevum priscum referendum esse. Similis est noster iuvenis ei, qui Olympiae repertus est[1]. Habitus enim capitis, capillorum, pedum denique motus fere sunt iidem, nisi quod manus aliter sunt formatae. Quod ad tempus, quo signum confectum est, spectat, omni cum probabilitate conicere possumus statunculum hoc posteriore parte sexti saeculi factum esse; ex capillatura autem et effingendi modo in universum conici potest sigillum hoc artis Aegineticae manifesta indicare vestigia.

Non possum hic enarrare, quo modo typus hic »Apollinum« tempore procedente excultus mutatusque sit. Necesse est tamen animadvertamus inter artis monumenta plurima exempla inveniri[2],

[1] cf. A. Furtwaengler: Olimpia, die Bronzen, tab. VIII Nr. 52 p. 20.

[2] ex. gr. »Apollo Naxius« Max. Collignon: l. c. t. I fig. 122; Fraenkel: Arch. Ztg. 1879 tab. VII »Apollo Payne-Knight« Rayet et Thomas: Milet et le Golfe Latmique tab. 28, 2; M. Collignon: l. c. fig. 156; Overbeck: Plastik I⁴, fig. 24 »Apollo Piombino«; Rayet et Thomas: l. c. tab. 29; Brunn-Bruckmann: Denkmaeler gr. u. röm. Skulp. tab. 78; M. Collignon: l. c. tab. V.

quae similem statum habitumque et manum porrectam ostendant, exemplaria autem cum manu in coxis posita aetate prisca rarissima esse. Sigilla nostri statunculi simillima mihi quidem ignota sunt. Duo signa[1], quae in museo Parisino »Louvre« conservantur, eundem habitum manus, quae in coxis nititur, cum huius iuvenis simulacro exhibent; dissentiunt tamen ab eo pedum et alterius manus compositione statuque. Hanc igitur ob rem statunculum, de quo modo dixi, non parvi pendendum esse existimo.

---

c) De Athenae sigillo.
(Sigillum 0·23 m altum cum basi).
(Tab. VI).

Statua aerea nunc primum delineata publicique iuris facta Athenam repraesentat. Dea stat galea tecta Corinthiaca alte cristata et in occipitium retracta; induta est tunica cum brevibus manicis malleolis conexis nec non chitone, sub ipsis mammis cingulo lato cincta; pedes habet calceatos. Pectus ornat angusta aegis squamis et ore Gorgonis instructa. Laeva manu nitebatur in hastam, id quod ex rima in manu et in basi conspicua elucet. Ex habitu dextrae manus conicere possum, eam scuto esse innixam. Corporis onus dextro pede sustinetur, laevus genu flexus paulum reicitur. Mitis et vegetus vultus, placidi oculi, ca-

---

[1] cf. S. Reinach: Répertoire de la statuaire grecque et Romaine, t. II p. 83 fig. 5 et 6.

put leviter demissum, affabre delineatum collum, gracilis status iuvenilem figurae produnt speciem. Quae supra attuli, ostendunt hanc plenam perfectamque formam deae ab illo exemplari quinti saeculi, quod Phidias ille confecerit, longe abesse. Eodem spectat etiam angusta aegis, altior cinctus, sinus vestis haud concinna simplicitate deorsum defluentes, capilli eleganter in occipitium compti.

Maioris tamen momenti sunt ea, quae assequemur, si hanc Palladis statuam cum aliis deae vulgo notis signis comparaverimus. Statunculum, de quo agitur, simillimum esse videtur statuae illius marmoreae, quae in apparatu Britannico W o-b u r n A b b e y invenitur[1]. Vestimentum, habitum manuum, statum corporis, eadem fere habet illa statua cum nostra. Atque Furtwaenglerus statuam, quam ipse descripsit, Artemidi Dresdensi similem esse ait[2].

Idem de hoc statunculo dici potest. Corporis enim habitu et componenda veste Cracoviensis Athena ad statuam Artemidis proxime accedit, nisi quod Artemis pede laevo, nostra Athena dextro nititur. Utraque tamen statua exhibet eosdem sinus vestium. Accedit altus cinctus, modeste et simpliciter in occipitium compti capilli, lineamentaque oris tenera.

Britannica statua ex sententia Furtwaengleri lineamenta Praxitelia prae se fert. Cum igitur, ut supra monui, statunculum nostrum sine dubio Artemidis Dresdensis similis sit, non sine proba-

---

[1] A. Furtwaengler: Ueber Statuenkopien im Altertum, p. 46, tab. VII. (Aus den Abhandl. d. k. bayer. Akad. d. Wissensch. I Cl. XX Bd. III Abt.).

[2] A. Furtwaengler: Meister-Werke, p. 554 sqq. tab. XXIX.

bilitate existimaverim etiam nostram Athenam formam et vestigia artis Praxiteliae exhibere. Una ex Musis in Praxitelis basi Mantineae reperta[1] scilicet ea, quae in prima lamina cum volumine in dextra manu apparet, nonnullas notas communes cum Cracoviensi signo habet, sinum dico in inferiore parte tunicae, tum altum cinctum et capitis habitum.

Alia exempla eiusdem statuae, praeter statuam Britannicam et Cracoviensem, mihi quidem ignota sunt; satis similes sunt statuae, quas Clarac-Reinach delineaverunt: 1) tab. 462 D, 888 D (Neapoli), 2) tab. 472, 898 A (Romae in »Museo Chiaramonti«).

Utrum Britannica an Cracoviensis statua ad similitudinem archetypi Praxitelii propius accedat, diiudicari non potest.

d) De urna sepulcrali Romana.

(Una cum operculo 0'53 alta, per medium occupat 0'31 m).

(Tab. VII).

Haec urna fuit quondam Romae in »Vigna Pacca«, unde Museo principum Czartoryski acquisita Cracoviam translata est[2]. Aversa eiusdem

[1] cf. W. Amelung: Die Basis des Praxiteles, München 1895. tab. I.

[2] cf. Matz-Duhn: Antike Bildwerke in Rom, Leipzig t. III Nr. 3994; Fridericus Spiro: De Euripidis Phoenissis, Berolini 1884 p. 65, fig. 2; C. Robert: Die antiken Sarkophag-Reliefs, Berlin 1890 t. II. p. 194.

pars ornata est striatura, quae spirarum speciem praebet, in fronte autem duo milites heroes alius alii instantes conspiciuntur, inter quos in media inferiori parte vetula mulier crinibus passis et dextra mamma nuda genibus procubuit. Miles, qui ad dextram stat, galea et chlamyde indutus, sinistra manu parmam tenet, in qua caput Medusae caelatum est, dextra vero habebat gladium, ex quo solum manubrium restitit. Ceterum idem dici potest de adversario ad laevam consistente, nisi quod gladium dextra manu apprehendit. Anus genibus innixa amicta est tunica altius cincta, cui pallam circa coxas superiniectam videmus.

Atque recte Matz-Duhn perspexerunt imagine, cuius modo mentionem fecimus, expressam esse pugnam singularem, quam Eteocles et Polynices, Oedipodis filii, de summa imperii Thebani contendentes inter se commiserunt. Ecce mater Iocaste, quae rebus extremis commota fratres certaminis cupidos conciliare studet, ad pedes eorum provoluta nudato pectore per gremium et amorem maternum obsecrat, ut alter alterum devitet, ne dirum patris praedictum ambos mutuis manibus vulneribusque interituros eventum habeat. Frustra tamen operam dabat, res ad arma venit, ambo occumbunt morti.

Rationem quidem, qua haec imago fabulam antiquam Euripidis (Phoenissae v. 355 sqq.) vel Senecae (Phoenissae v. 443—458) illustret, a viris doctis supra laudatis expositam facile relinquere possum, sed non alienum mihi videtur rem adhuc neglectam attingere, quo scilicet tempore urna facta sit? Equidem ex pulchra corporum forma, tum ex sculpendi diligentia et argumento ex an-

tiqua fabula repetito atque adeo animum commovente[1] conicio, urnam Antoninorum aetate effictam esse.

Quod vero Robertus putat, similes imagines sculptas imitationem picturae Taurisci, qui iisdem temporibus vixit, referre, non prorsus a vero abhorrere mihi videtur, si quidem apud Plinium legimus: N. H. XXXV 144 »Tauriscus (*scil.* pinxit) Polinicen regnum repetentem«.

In tabula super caput Iocastae haec inscriptio exstat:

D M
A · AEGRI
LIOEVIY *(sic)*
CHOIVLIA
NVSFF

Operculum foliis acanthi ornatum ad ipsum urnae auctorem referendum est et cum ea artissime coniungitur.

---

[1] cf. W. Altmann, Die römischen Grabaltaere, Berlin 1905 p.224.

Edmundus Bulanda.

III.

De Lycurgo insano in hydria Cracoviensi repraesentato.

(Tab. IX).

Artis opera, in quibus fabula de Lycurgo, Edonorum rege, expressa est, Michaelis primus diligentissime collegit[1]. Cui indici paulo post novum vas accessit, quod G. Jatta descripsit ac delineationem eius publici iuris fecit[2], tum testa cuiusdam amphorae in Apulia effossa[3].

His monumentis vas novum adicere possumus, quod Cracoviae in Museo principum Czartoryski (nr. 1225) exstat eandemque fabulam repraesentat.

Ipsum vas generi hydriarum adnumerandum (36 cm altum, maximus ambitus efficit 86 cm), quod ad ornatum spectat, haud insigne. Inter pedem et alvum ruber perangustus limbus conspicitur, praeterea labrum tantum ab exteriore parte ornamento, quod ex lineis ovatis constat, designatur. Ceterum omnem ornatum vasis pictura

---

[1] Annali dell' Instituto di Corrispondenza archeologica vol. XLIV (1872).

[2] In iisdem Annalibus vol. XLVI (1874), tab. R.

[3] Cf. Arch. Anz. 1891 p. 24.

efficit, quae in inferiore parte maeandris, qui dicuntur, in superiore autem in ipso hydriae collo ornamento hederaceo utrimque duabus angustis lineis circumscripto continetur. Utrumque tamen ornamentum priorem tantum partem vasis inter ansas sitam occupat.

Frontem vasis id est alvum et hanc partem, ubi collum in alvum transit, pictura obtinet, qua notam fabulam de Lycurgo rege a Dionyso poena affecto repraesentatam esse facile cognoscimus. In sinistra eius parte primum in conspectum rex ipse barba et capillo promisso conspicuus venit, qui vehementi motu corporis ambabus manibus super caput bipennem securim sustulit. Regem diadema demonstrat, quo caesaries eius redimitur. Vestitus est brevi tunica (Graeci chitona dicunt) sine manicis, supra coxas praecincta; humeris pallium [1] superiniectum est latum et sinuosum aliquot latis rectis et fluctuosis clavis ornatum, quod in pectore fibula subnectitur. Pedibus eius inducti sunt alti calcei, quod genus *ἐνδρομίδες* vel *ἐμβάδες* Graecis dicitur.

Ante Lycurgum mulier quaedam conspicitur (quin eiusdem uxor sit, nullo modo in dubium vocari potest), quae tamen aliquantum pone regem dimota est, nam Lycurgi pes sinister in veste eius apparet. Motus vehemens corporis et is pedum habitus, ut sinister genu flexus porrigatur, dexter autem retro extendatur, feminam lapsam esse docent. Manus autem sustulit, capillumque sibi evellit, de salute filii, cui iam mors atrox imminet, desperans. Induta est longa tunica, quae in dextro

[1] Cf. Berl. Winck. Programm 50 p. 159 sq.

humero fibula subnectitur, ita tamen, ut sinistrum nudum ostendat. Praeterea dextro humero pallium superiniectum dependet.

Filius, in quem rex securim attollit, prorsus nudatus in ara sanguine polluta sedet, in quam certe confugit, ut apud Iovem Herceum salutem quaereret. Facie retroversa, ut patris conspectu fruatur, manus supplices ad eum tendit, misericordiam implorans.

Sed mors nullo modo vitari potest; ita enim Dionyso deo placuit, qui iuxta eum constitit et supra eius caput virgam pampineam protenta dextra tenet. Habitus eius severus et gravis, propemodum rigidus more antiquioris artis effictus est. Est enim barbatus, capillo promisso, qui longis cincinnis in pectus et humeros defluit, manu sinistra thyrsum tenet, caput autem diademate ornatum et hedera coronatum exhibet. Vestitus est longo chitone usque ad pedes demisso et brachiorum partem obtegente, cui amplum pallium superimpositum est. Ora pallii nigro clavo distinguitur.

Dionysum Maenas Silenusque comitantur. Maenas, cuius caput taenia evinctum est, omnium, quae fiunt, quasi incuriosa saltat manu altera elata, altera in latere posita. Induta est prolixa tunica longis manicis insigni, quae tamquam saccis brachia et manus velant.

Silenus totum corpus nudatum, caudam equinam auresque equinas ostendens, capite hedera coronato in saxo sedet, manibusque tibias geminas tenet, quibus Maenadi saltanti canit.

In sinistra parte picturae ante Lycurgum adhuc res quaedam oblonga deorsum inclinata, quae ca-

dentis similitudinem prae se fert, conspicitur. Quidnam sit, difficilis est explicatio, conicere tamen licet facem esse sacris adhibitam, quam mulier Lycurgi aut quaedam alia persona terrore perculsa reliquerit.

Atque quorsum haec omnia spectent, facillime explicari potest. Apparet Lycurgum insania tactum, quod Maenadas deum venerantes dispulerit, id agentem repraesentari, ut filium suum occidat, quem pro vite accipiat. Iam si quis alias vasorum picturas eandem fabulam exhibentes[1] cum ea, de qua agimus, comparaverit, persuasum habebit hanc ab illis haud alienum habitum prae se ferre. Quod autem Michaelis exposuit[2] Lycurgum insanientem aliter in picturis vasorum, quam in anaglyphis atque picturis parietariis effingi, id optime comprobatur hydria Cracoviensi et illo vase, cuius delineatio et descriptio in Annalibus

---

[1] Vasa fictilia fabulam de Lycurgo repraesentantia haec sunt:

A. Vas Musei Neapolitani: Roscher, Lex. myth. p. 2195.

B. Vas Canossinum Monacense: Zoega, Abhandl. her. v. Welcker tab. 1. 3.

C. Vas Antianum musei Neapolitani: Zoega, Abhandl. tab. 2. 4. 5; Baumeister tab. 918 et 919.

D. Crater Ruvinus (Rubustinus) nunc Lutetiae Parisiorum: Mon. dell' Inst. V. 23; cf. Ann. XXII. p. 336 sqq. (Brunn).

E. Amphora Ruvina musei Neapolitani: Mon. dell. Inst. IV. 16; cf. Ann. XVII. p. 119 sqq. (Roulez); Roscher p. 2198.

F. Vas Ruvinum musei Jatta: Ann. XLVI. tab. R. (Jatta).

G. Testa amphorae in Apulia effossa: Arch. Anz. 1891 p. 24.

Omnes dissertationes, quae de his vasis praeter F et G tractant, enumerat Michaelis in Ann. vol. XLIV. p. 249 sq.

[2] In dissertatione: Lycurgo furente sopra anfora di marmo; cf. Ann. vol. XLIV. p. 248 sqq.; hic quoque anaglypha et picturae parietariae ad Lycurgum spectantes enumerantur.

vol. XLVI (1874) invenitur. Itaque vasa in fabula illa exprimenda sine dubio tragoediam sequuntur, ex scriptoribus enim soli tragici poetae tradunt Lycurgi insaniam contra familiam conversam esse, in anaglyphis vero et picturis parietum narrationis, quae orta est aetate Alexandrina, aperta deprehenduntur vestigia, scilicet Lycurgum furentem a nympha Ambrosia in vitem mutata laqueis involutum esse et ita constrictum mortem obiisse.

Nunc ad picturas vasorum redeuntes nonne videmus et hic nobis quaedam discrimina statuenda esse? Nonnulla enim vasa sicuti A et F, fortasse etiam testa amphorae in Apulia effossa (G) fabulae simpliciorem antiquioremque certe formam, quam apud Apollodorum invenimus[1], exhibent: *Λυκούργῳ δὲ μανίαν ἐποίησε Διόνυσος· ὁ δὲ μεμηνὼς Δρύαντα τὸν παῖδα, ἀμπέλου νομίζων κλῆμα κόπτειν, πελέκει πλήξας ἀπέκτεινε.* Itaque vas A Lycurgum, filium tantum interficientem fingit, in vase F mater praeterea additur, quae pavore perculsa regem furentem fugit. De vase G, cuius fragmentum solum restat, nihil certi statui potest, verisimile tamen videtur eiusdem esse generis.

Altera vasorum series, cui exempla C, D, E tribuemus, Lycurgum nobis depictum offert, qui uxorem et filium interficit. Atque in vase C et D filium interfectum servi auferunt, Lycurgus autem uxorem aggreditur, bipennem securim dextra tenens. In vase E rex cum securi in uxorem invadit, filius vero a tergo eum retinet. Huc quoque vas B referri potest, in quo tamen Lycurgus uxo-

[1] Biblioth. III 5, 1.

rem tantum gladio interficit, filius autem nusquam apparet[1]. Haec igitur series vasorum (B, C, D, E) posteriorem tragoediam sequitur, cuius argumentum sine dubio ab Hygino (fab. 132) expressum invenimus, unde omissis quibusdam haec gravissima sententia depromi potest: »Lycurgus, Dryantis filius, Liberum de regno fugavit... Qui insania a Libero obiecta u x o r e m s u a m e t f i l i u m interfecit«. Et re vera figurarum dispositio vestitusque, qui histrionum vestimenta nobis in memoriam reducit, probabilem facit coniecturam fabulas scaenicas plurimum ad picturas vasorum excolendas valuisse.

Priorem seriem vasorum, quae simplici imaginum ratione insignia sint, vetustiorem esse perspicuum est. Quibus et vas musei Czartoryskiani magna cum veri similitudine adnumerari potest. Hic Lycurgus filium interficit, at mater frustra se interponit et capillum, postquam saluti filii diffisa est, sibi evellit. Si deinde motus patris et filii respicies, facile tibi persuadebis ab hydria Cracoviensi haud multum abhorrere simplicem imaginem vasis A, ubi filius ad genua patris procumbens, manibus sublatis misericordiam petit, pater autem securi elevata ei minatur. Huc accedit, quod etiam mater in vase F, cum nati interitum prospiceret, in fugam se coniecit. Iam vero Dionysum si consideramus, prorsus peculiari modo in hac hydria prodeuntem videmus. Non spectator enim neque testis quietus est, sed in ea, quae fiunt, ipse se interponit, atque animum Lycurgi adeo occaecat,

[1] In hac altera serie vasorum (B, C, D, E) ipse furor Lycurgi peculiaribus imaginibus indicatur.

ut hic filium pro vite habeat. Quam mentis caecitatem artifex symbolice hoc est sub imagine rami, quem Bacchus super caput iuvenis teneat, exprimere videtur. Eo factum est, ut omnes personarum actiones inter se conveniant atque in unum redeant, ut ipse Dionysus, qui Lycurgum puniat, maximi sit momenti, nec iam ornamentum solum, ut in aliis vasis, efficiat. Apparet quidem Dionysus e. g. in vase E, sed hic partes secundas agit, Ariadnae enim assidet, neque iis, quae fiant, moveri videtur. In vase C autem apotheosis eius potius depicta est separata imagine, quae posteriorem vasis partem obtinet. Comitatus Bacchi lentus et securus, (siquidem Maenas saltat, Silenus tibiis canit), ut in aliis artis monumentis, quae fabulam illam repraesentant, thiasum non interrumpit, quamquam hoc ipso tempore Lycurgus filium occidit [1].

Iam si de arte depingendi et exprimendi quaeramus, quaedam virtutes vasis, de quo agitur, haud denegari possunt. Imprimis laudandam esse puto artam coniunctionem atque conexum illum, qui inter personas intercedat ita, ut omnia ad unam rem spectare videantur. Nec silentio praetereundum discrimen, quod inter vehementem, tristem et luctuosam insaniam regis atque incuriosum, petulantem thiasum Bacchi intercedit. Quae artifex persona Bacchi auctoritatis et dignitatis plena aptissime coniunxit.

Modus, quo singulae personae expressae sunt,

---

[1] Conferatur e. g. vas E, C aut vas marmoreum (Mon. dell' Inst. IX. 45), in quibus Maenades tympana manu tenent et saltant.

non in omnibus idem est. Lycurgus et Bacchus quidem haud parva subtilitate et diligentia depicti esse videntur. ceteris tamen figuris ad perfectionis laudem multa deesse manifestum est. ut uxorem regis tantum et filium eius nominemus. Illa enim medium corpus hoc modo convertit, ut caput retro aversum faciei unum tantum latus ostendat. nec non pedem alterum retro extendit. alterum genu flexum promovet: is in ara sedens pedibus in Dionysum conversis corpus suum ita avertit, ut pectoris frons paene, faciei autem latus alterum appareat. In quo studio latissimas partes corporis depingendi, cum lineae corporis certae atque perspicuae sint, inexercitata et adhuc parum versata manus antiqui artificis conspicitur; quod eo facilius probabis, si attenderis vultum omnium personarum ex uno tantum latere ostendi et pectus, Sileno excepto, ex fronte apparere. Minimam curam artifex in Maenade depingenda adhibuisse videtur, sinus enim chitonis, quo vestitur, haud expressi sunt, aut potius permultis directis lineis significati, quibus omnis vestis contegitur.

Quae cum ita sint, tempus, quo vas confectum sit, facile definiri potest. Ipsa enim depingendi ratio, quae rigidam antiquioris artis indolem servet atque imago in ea parte vasis, ubi collum in alvum transit, depicta [1] testantur hanc hydriam priore dimidio quinti saeculi a. Chr. ortam esse. Nec quicquam dubii Bacchi imago relinquit, cum tam gravis et severus Dionysus in antiquiore tantum arte appareat. Fides praeterea sententiae pro-

[1] Cf. Furtwängler u. Reichhold: Griechische Vasenmalerei p. 182.

latae eo affertur, quod chiton cum insolentibus manicis[1], quali Maenas in hydriae pictura induta est, tum pallium Thracium[2] Lycurgi regis in vasis rubrarum figurarum eo ipso tempore, quod supra definitum est, effingitur.

---

[1] Vid. Jahn in catalogo musei Monacensis nr. 240; conferatur etiam Rapp in Roscheri Lex. myth. p. 2262.

[1] Cf. Furtwängler, Orpheus. Attische Vase aus Gela; Berl. Winck. Programm vol. 50 p. 159 sq.

Ludovicus Piotrowicz.

IV.

De speculo Etrusco.

(Tab. VIII).

Speculum Etruscum fuit quondam principis Canino, tum Hope, deinde Lutetiae Parisiorum monumentorum supellectili a J. Gréau comparatae accessit, denique a principibus Czartoryski emptum (a. 1885) et in museo Cracoviae collocatum est. Signatum est nr. 759.

Quod speculum Eduardus Gerhard in eximio opere »Etruskische Spiegel« (tab. 138) delineandum curavit atque interpretatione instruxit (vol. III p. 131 sqq.)[1]. Lineis descriptum est etiam in his libris: Wiener Vorlegebl. (D, X, 5)[2]; Müller-Wieseler: Denkm. d. a. Kunst (II, nr. 833); G. Haupt: Commentationes archaeologicae in Aeschylum. Diss. phil. Hal. vol. XIII (1885) tab. I, a[3]; Roscher: Ausführl. Lexic. d. gr. u. röm. Mythol.

---

[1] In quo corpore antiquiores libri eandem rem tractantes enumerantur.

[2] Quae delineatio parum diligenter atque accurate confecta est, Hercules enim digitis rem, quam infra interpretaturus sum, non tenet.

[3] Quoniam G. Haupt haud accurata delineatione usus est, minus recte speculi interpretationem instituit.

(v. Prometheus c. 3094); Milani: Studi e materiali vol. III (1905) p. 211; Phototypice expressum est apud W. Fröhnerum: Bronzes ant. (1885) tab. XI nr. 580 p. 116 sq.

Ex aere factum et levissime excavatum neque temporis iniuria laesum est, formam autem piri prae se fert; cuius dimetientes longae sunt 178 et 172 mm., manubrium ex eadem flatura ductum 60 mm. Aversa speculi pars caelatura planissima exornata et duabus hederae frondibus, quae in diversas partes diriguntur, cincta est.

Itaque in saxo scilicet Caucasi montis Prometheus sedet, ut ex nomine Etrusco »Prumathe« super caput eius inscripto elucet. Atque caesaries uberrima salice (λύγῳ) [1] coronatur, barba cunei instar circumcisa est. Gremium eius levi pallio (*ἱματίῳ*) velatur. Humi vultur vel aquila deiecta alis prostratis iacet. In rupe super Titanis caput vincula conspiciuntur, quibus manus eius modo liberatas et assiduis aerumnis prorsus languentes duo iuvenes ex utraque parte adstantes sustinent ita, ut eum sublevaturi videantur. Qui adulescentes corpore vigentes, imberbes et crispis capillis inter se simillimi sunt. Quorum alter a sinistra Promethei conspicuus prorsus nudatus est, alterius e laeva manu chlamys profluit. Prope hunc iuvenem clava et arcus humi iacent. Titulum autem Etruscum »Calanice« super caput eius inter

---

[1] Nic. Terzaghi, ut vetustiores interpretes praeteream, in dissertatione: »Prometheo« (Florentiae 1904, Estratto dagli Studii Religiosi, Fascicoli: VI, 1903—I e II, 1904) coronam querceam vel hederaceam esse suspicatur, p. 17. adn. 5. Cf. Terzaghi in Milanii l. c. p. 211.

hederae folia incisum [1] Herculem cognomine »*Καλλίνικος*« a Graecis interdum nuncupatum significare in propatulo est [2]. Iuxta alterum iuvenem inter hederae folia invenitur ipsius nomen: »Castur« (= Castor).

Adulescentes dextrarum digitis tenent aliquam rem, quae primo obtutu definiri non potest. Alii viri docti ovum [3], Dioscuridum signum, alii malum [4] victoriae praemium esse interpretabantur, Gerhardus autem anulum ferreum bipartitum, quem Prometheus Iovis iussu, ut errorem suum expiaret, semper gestare debuerat. Th. Konitzerus [5] Herculem solum Promethei digito anulum induere velle asseveravit, de altero vero nihil habuit, quod diceret. W. Fröhnerus [6] utrumque iuvenem anulos singulos digitis complecti, G. Körte [7] Herculem Hesperidum malum tenere censebat. Terzaghi Castorem petrae frustulum amplexum esse digitis iudicabat, quod postea ipse Titan anulo ab Hercule accepto inclusurus esset. (Cf. Milani l. c. p. 210—213). Bappius [8] denique modo vincula ferrea, modo Samothracum mystica

---

[1] Qui titulus non, ut ceteri, a dextra ad laevam, sed inverso ordine legendus est.

[2] Cf. Gerh. tab. 137; C. Friedrichs: Kleinere Kunst u. Industrie im Altertum. vol. II p. 75; Bappius in Roscheri Lexico v. Prometheus c. 3095.

[3] Gerhard l. c. vol. III p. 131 adn. 36.

[4] Gerhard ibid. adn. 37.

[5] In dissertatione: De fabulae Prometheae in arte litterisque usu. (Regim. Boruss. 1885) p. 15.

[6] Catalogue des Bronzes ant. coll. J. Gréau (Lut. Paris, 1885), p. 116 sq.

[7] Strena Helbigiana (1900) p. 166 adn. 1.

[8] Roscheri lexic. (v. Prometheus c. 3095).

vincula esse coniciebat. Sed earum opinionum nulla mihi adridet. Neque enim res digitis iuvenum comprehensae formam anuli exhibent, neque Prometheum aliis quibusdam vinculis, quam, quae super caput eius conspiciuntur, ad rupem alligari potuisse in propatulo est.

Equidem similiter ac Braunius (cf. Terzaghi apud Milanium p. 212 adn. 44) hac re clavos potius significari puto, quibus Titanis manus, vinculis constrictae, ad rupem affixae erant. Tali enim modo in alterius speculi Etrusci imagine[1] Promethei dextram ad rupem adnexam videmus. Praeterea ipsa digitorum Herculis Castorisque compositio nec non ratio, qua clavos tenent, clavos illos a iuvenibus modo e Promethei vinculis extractos esse demonstrare videntur.

Attamen difficile dictu, quid sibi imago Castoris velit? Eum enim in Prometheo liberando partem habuisse neque Hesiodus, neque Apollodorus, neque Aeschylus commemorant; ac ne in arte quidem id agentem artifices eum expresserunt.

Recentissimo tempore G. Hauptius sententiam protulit[2] Etruscum opificem Castorem ad exemplum Aeschyli tragoediae: *Προμηθεὺς λυόμενος*, in qua easdem habuisset partes, in speculo effinxisse. Atque iam A. Furtwängler[3] recte monuit speculi Etrusci caelaturam re vera ex Aeschylo pendere, nam Prometheum ad Caucasum montem adnexum videmus, sed parum probabiliter ex hoc uno

---

[1] Gerhard: Etr. Sp. tab. 139; Wiener Vorlegebl. (D, X, 4); G. Haupt l. c. tab. I, b; Roscheri lexic. v. Prometheus c. 3094; Milani l. c. p. 212.

[2] l. c. p. 123 sqq.

[3] Arch. Ztg. 1885, p. 227.

speculo colligitur Castores quasdam partes in Aeschyli tragoedia habuisse.

Plura enim eaque Graecae artis opera ex Aeschylo quoque pendentia Prometheum Herculemque solum repraesentant. Itaque primum Panaeni [1] in templo Iovis Olympii pictura commemoretur, quam ex duabus personis Prometheo Herculeque constasse Pausanias [2] tradit. Huc pertinet gemma quaedam, hoc speculo paulo antiquior [3]. Cuius gemmae propria imago speculi Etrusci mirum in modum similis est. Nam ibi quoque Prometheus, cuius gremium pallio vestitur, non alia ratione manibus ad rupem alligatis in saxo sedet idemque Hercules, iuvenis imberbis, cum clava, arcu et velamine Titani adest, nisi quod uterque more vetustioris artis a latere conspicitur. Praeterea iam dudum constabat et a G. Körteo [4] luculenter expositum est opifices Etruscos, qui omnino minimam artis intelligentiam ostenderent, ab exemplaribus Graecis ultro aberrare et abscedere solitos esse. Qua re factum est, ut nonnunquam ex operibus Graecis male intellectis personas sibi notiores vel adamatiores in specula sua transferrent, ceteras vero quamquam graves ac singulares omitterent. Accedit, quod spatia speculorum vacua personis gratis et acceptis explere haud dubitabant, id quod etiam speculo Etrusco (apud Gerhardum-Körteum vol. V tab. 77) probari po-

[1] cf. E. Petersen: Ein Werk des Panainos (Lipsiae 1905), p. 29.

[2] Descriptio Graeciae (V, 11, 6).

[3] A. Furtwängler: Antike Gemmen. 1906 (vol. I. tab. 37, nr. 41; vol. II, p. 180, 41).

[4] Strena Helbigiana p. 170.

test, in quo opifex Etruscus ad orbem explendum Venerem finxit et alteram quandam feminam, titulo omisso, licet ceterae personae propriis inscriptionibus non careant.

His rebus accurate perpensis conicio opificem Etruscum Graecum quoddam exemplar, forma fortasse q u a d r a t u m efficiente, quod Herculem tantum et Prometheum repraesentabat, cum hoc speculum caelaret, ante oculos habuisse. Cum tamen duae figurae ad speculi o r b e m lepide ac venuste explendum minime idoneae essent, tertiam eis ultro adiectam esse arbitror.

Sed quaerat quispiam — et recte quaerat — quare artifex Castorem elegerit? Dioscuridas »*ἐπιχθονίων ἀνθρώπων σωτῆρας*« iam in Homeri XXXIII, 6 hymno rectissime nuncupatos legimus [1] et hoc nomine non solum in Graecia, sed etiam in Italia [2] Etruriaque [3] cultos esse constat. Itaque huius rei peritissimum opificem Etruscum Promethei liberandi adiutorem Castorem adscivisse puto. Similiter in speculo Etrusco (apud Gerhardum-Körteum vol. V tab. 88, 2), quod Iasonem, dum a Dionyso et Cupidine mortis periculo eripiebatur, exhibet, Castoris praesentiam explicare licet.

Quae cum ita sint, G. Hauptii opinionem reiciendam esse existimo.

Sidera denique duo vel cruces, quae iuxta Promethei nomen inscriptum extant, commemorari oportet. Atque nonnulli viri docti eis caligi-

---

[1] cf. Theocr. XXII, 6; Aelian, V. h. I, 30.

[2] J. Martha: L'art Étrusque (Lut. Paris. 1889) p. 546.

[3] Baumeister: Denkm. d. kl. Alt. v. Dioskuren, vol. I, p. 451.

nes noctis in Caucaso monte iacentes [1], Gerhardus vero Dioscuridas fratres significari suspicati sunt. Si tamen reputo, hic non utrumque fratrem, sed Castorem solum expressum esse, alia explicatio quaerenda est.

Itaque Etruscos artifices imagines speculorum quibuslibet rebus et prorsus neglegendis persaepe adornasse satis superque certum est. In quo igitur numero ponuntur cruces signis huius speculi simillimae [2], sidera [3], lunae [4], gyri [5], aves [6], pisces [7], herbae [8], flores [9], lineae incurvatae [10] aliaeque res plerumque prorsus obscurae [11], quas interdum illepide atque ineleganter per totos multorum speculorum orbes collocatas videmus.

Quibus rebus adductus cruces quoque huius speculi exsculptas esse putaverim, ut spatium vacuum, quod iuxta Promethei titulum extabat, explerent.

Restat, ut tempus, quo speculum confectum

---

[1] Gerh. l. c. p. 132, adn. 41; A. Furtwängler quoque in Roscheri lexico (v. Dioskuren c. 1177) iuvenem »Calanice« dictum Pollucem repraesentare opinabatur, a qua tamen sententia mox in diario (Arch. Ztg. 1885 p. 227) discessit.

[2] Gerh. l. c. tab. 347; Gerh. Körte (V) tab. 24, 59.

[3] Gerh. tab. 68, 254 A, 272 (1), 349, Gerh. Körte tab. 8(3), 62. 74, 106, 112(2), 119, 121.

[4] Gerh. tab. 152, 171, 230, 249 (2, 3, 4), 255, 261, Gerh. Körte tab. 152.

[5] Gerh. tab. 147, 171; Gerh. Körte tab. 9 (2), 21.

[6] Gerh. tab. 151, 170; Gerh. Körte tab. 14, 15, 72, 121, 141 (1), 152.

[7] Gerh. tab. 71 (7), 89, 98.

[8] Gerh. tab. 75, 98, 99, 146.

[9] Gerh. tab. 101; Gerh. Körte tab. 72.

[10] Gerh. Körte tab. 46, 154.

[11] Gerh. tab. 101, 152.

ciantur[1], vultum venustatem et pulchritudinem quasi ostentantem reddunt; oculi vero aperti atque clari prospiciunt. Dextra manus, quae cubito multum inflexa et sublata est, soleam sive sandalium in superiore parte nonnihil laesum tenet. Quod autem sinistra manus non longe a corpore remota demittitur, hoc eandem aut paululum porrectam aut in aliqua re fultam significare videtur. Denique notandum utramque manum armilla esse ornatam[2].

Iam si de muliere quaeras, cuius imaginem hoc sigillum exprimat, tum ex decoro diademate et corporis specie, tum ex eo, quod omnino nuda apparet, Venerem esse primo obtutu cognoscimus.

Quod ad originem signi Cracoviensis spectat, haec observari possunt. Ch. Lenormant in opere, cui inscribitur: Élite des monuments céramographiques, 1859, t. IV, p. 109, adnot. 2 dicit: »Parmi les types variés qu'offrent les Vénus nues en bronze, decouvertes depuis quelques années à Tortose de la Syrie et envoyées successivement en France où elles ont fait l'intérêt dominant de plusieurs ventes d'antiquités, on remarque la figure qui tient une sandale dans une de ses mains: on en voit un bel exemplaire dans la collection de M. le vicomte de Janzé«. Omnes statuas ex aere confectas comes de Janzé a. 1865

---

[1] Cf. Bulletin de corresp. hellénique, 30 (1906), p. 624, fig. 3.

[2] Duce Prof. Petro Bieńkowski, harum rerum viro peritissimo, armillam in dextra manu antiquam, in sinistra recentem esse puto.

Bibliothecae nationali quae dicitur Parisinae dono dedit [1]. Statunculum autem aeneum, quod Venerem cum solea in dextra elata repraesentaret, in rerum antiquarum thesauro Bibliothecae nationalis neque inveniebatur umquam, neque invenitur hodie [2]. Quae cum ita sint, non sine probabilitate conici potest signum Veneris cum solea, illud »un bel exemplaire«, principem Czartoryski a comitibus de Janzé, quorum amicitia familiaritateque uteretur, ante a. 1865 quodam modo accepisse et Cracoviae in Museo suo collocasse.

In monumentorum thesauris Europaeis exstant passim aliquot [3] simulacra Veneris ita composita, ut dea prorsus nuda dextra elata soleam teneat. Una statua parvula ex terra cocta [4], una statua solita magnitudine ex marmore in insula Delo a. 1904 reperta [5], reliquae parvulae ex aere sunt confectae. Qui tamen omnia exempla collegit et interpretatus est [6], M. Bulard, non adnumeravit huic

---

[1] E. Babelon — I. A. Blanchet: Catalogue des bronzes antiques de la Bibliothèque nationale... Paris 1895, p. XL.

[2] Cf. supra laudatum Catalogum.

[3] Nonnulla delineavit Sal. Reinach: Répertoire de la statuaire grecque et romaine, t. II, p. 346, nr. 4, 6; t. III, p. 107, nr. 1; cf. BCH (Bulletin de corresp. hellénique), 24 (1900), p. 17 sqq. fig. 13.

[4] Cf. Revue archéologique 1903, I, p. 205 sqq. fig. 3.

[5] BCH, 30 (1906) p. 610 sqq. fig. XIII—XV.

[6] Ibidem p. 627 sq. in adnotationibus. Mirum mihi videtur Bulardum in libris laudatis I. I. Bernoullii opus, quod inscribitur: Aphrodite. Ein Baustein zur griech. Kunstmythologie, Leipzig 1873, omisisse, in quo opere p. 352 sqq. multum euctor de hoc statuarum genere disserit. Ad A, 2° addendum est: C. Friederichs: Berlins antike Bildwerke, II, Düsseldorf 1871, p. 393 sq.

generi statuam ex terra cocta in Museo Atheniensi asservatam et a S. Reinachio in Rev. arch. 1903, I, p. 205 sqq. fig. 3. in vulgus editam. Hac igitur statua Venus stans eaque prona et dextra soleam tenens effingitur. Apud pedes eius Amor parvulus alatus flexis genibus conspicitur [1].

Cui generi attribuendae sunt etiam parvae statuae ex aere confectae, quae imaginem Veneris eodem cum Cracoviensi simulacro habitu referunt, nisi quod dextra elevata glomeratum redimiculum aut coronam tenent [2]. Veri simillimum est omnes has statuas ad unam eandemque formam imaginemque Veneris referendas esse, solo enim insigni in dextra deae conspicuo inter se differunt, id quod certe haud magni est momenti.

Imaginem statumque Veneris vario modo interpretati sunt viri docti. Itaque Ludolphus Merklin, qui primus Venerem soleam dextra elata tenentem, olim Damasci asservatam nunc in Museo Dorpatensi positam delineavit [3], sigillum hoc Nemesim significare opinabatur, siquidem soleam pro ipso pede, hoc est mensurae signo accepit. Sed si re vera Nemesim nescio cui artifici exprimere placuisset, sine dubio efficaciore atque nobiliore modo effingendam fuisse suo iure animadverte-

---

[1] Non potest certis argumentis probari Amorem ad hanc statuam pertinere. Conferas velim Rev. arch. 1903, I, p. 211,

[2] Collectae a M. Bulardo in BCH, 30 (1906), p. 627 sq. in adnotationibus. Delineavit nonnullas S. Reinach: Rép. stat. t. II, p. 346, nr. 1—3, 5, 7.

[3] Ludolf Merklin: Aphrodite Nemesis mit der Sandale. Griechisches Erzbild des Dorpater Kunstmuseums, Dorpat 1854.

runt Bluemner[1] et Friederichs[2]. Rectissimam opinionem Friederichsii, cui statuae hae »eine nackte Venus mit drohend erhobener Sandale in der Rechten« significare videntur, sequitur E. Hübner[3] et I. I. Bernoulli[4]. Ch. Lenormant conicit[5] huius generis signa symbolicam quandam orientalem figuram indicare, nam omnia fere ex Oriente originem trahunt. Quod vero Stephani haec signa Omphalen solea Herculem pulsantem punientemque[6] repraesentare sibi persuasit[7], hanc interpretationem recte mea quidem sententia reiciendam esse S. Reinach contendit, nam ne unum quidem exemplum ex antiquae artis operibus monstrari potest, quo nuda Omphale Herculem verberans exprimatur; immo contra statuendum artificem, si Omphalen hoc agentem formare voluisset, neque leonis pellem neque clavam omissurum fuisse[8]. A. de Ridder in statua aenea Veneris in Museo Atheniensi exstante et supra laudatis consimili in-

---

[1] H. Bluemner: Archaeolog. Studien zu Lucian, Breslau 1867, p. 71.

[2] C. Friederichs: Berlins antike Bildwerke, t. II, p. 393, nr. 1843.

[3] Archaeolog. Zeitung, 1870, p. 91 sqq. tab. 38.

[4] l. l. p. 352 sqq.

[5] Ch. Lenormant et de Witte: Élite des monum. céramograph., t. IV. p. 109 sq.

[6] Cf. Lucian. Dialog. deor. XI, p. 232: ἤδη δὲ καὶ πληγὰς αὐτῷ ἐνέτεινα ἐς τὰς πυγὰς τῷ σανδάλῳ. Conferas etiam velim Dialog. deor. XIII, p. 237; Quomodo hist. conscribenda p. 15; Terent. Eunuch. 5, 8, 2.

[7] Compte-rendu de la comm. imp. archéolog. 1870—71, p. 193.

[8] Rev. archéol. 1903, I, p. 205 sqq.

terpretanda sententiae Stephanii aliquid mutatae adstipulatur[1]. Cuius opinione omnibus his statuis Omphale quidem ipsa non repraesentatur, sed solea habenda est pro signo servitutis, qua Lydiae regina captivum suum oppressum tenebat. Praeterea in iisdem statuis etiam Venerem fingi dicit[2], quae omnibus, qui se laedant, minetur talem se erga eos praebituram, qualem se Omphale erga Herculem praestiterit, eosque uti infantes non oboedientes punituram esse. Solea igitur Riddero cum rebus ad amorem spectantibus conectenda esse videtur[3]. Similiter S. Reinach[4] et Paulus Wolters in recensendo[5] vase, quod in Museo Wirzeburgi invenitur, putant easdem statuas Veneris solea Amori minitantis imaginem prae se ferre. Ultimus sed uberrimis verbis de hac re disseruit M. Bulardus, cum symplegma marmoreum a. 1904 Deli effossum Venerem se a Pane defendentem Amore adiuvante repraesentans interpretaretur ac delinearet[6]. Stat Venus nuda, dextra sublata soleam tenet, pudens autem sinistra se protegit. Ad laevam Pan lascive deam amplectitur, Amor vero super humerum sinistrum Veneris

---

[1] BCH, 24 (1900), p. 17 sqq. fig. 13; cf. S. Reinach: Rép. stat. III, p. 107, nr. 1.

[2] l. l. p. 21.

[3] Cf. Paul Hartwig: Die griech. Meisterschalen der Blüthezeit des strengen rothfigurigen Stiles. Stuttgart u. Berlin, 1893, tab. XXVII, p. 263, adnot. 1; tab. XLIX, p. 474, adnot. 1; tab. LXXIII, p. 666, adnot. 1; cf. BCH, 30 (1906), p. 616 sqq. cum adnotationibus.

[4] Rev. archéol. 1903, I, p. 205 sqq.

[5] Athenische Mitteilungen, 30 (1905), p. 399 sqq. tab. XV.

[6] BCH, 30 (1906), p. 610 sqq. tab. XIII—XVI.

apparet Pana, quem cornu apprehendit, repulsurus. Artis opere a se publici iuris facto et recensito nixus Bulardus in interpretandis statuis, de quibus nunc agitur, a coniecturis S. Reinachii et P. Woltersii dissentit et in exemplo primo Venerem cum Pane non cum Amore coniungit. Procedente tempore sola deae imago a signis copulatis seiuncta unum atque totum per se facta est, opus absolutum et vulgo notum inclutumque, cuius tam multa exempla in museis Europae asservantur. Theodorus Schreiber censet [1] Veneris signa, de quibus agitur, quod ad originem formamque spectat, a forma Veneris, Ἀναδυομένη quae dicitur, pendere et progressum aliquem in hoc genere typoque excolendo repraesentare. M. Bulardus in origine huius generis statuarum explicanda mediam viam sequitur [2] et eas e Veneris anadyomenes et pudicae signis, quae antiquis temporibus frequentissima et notissima erant, derivare vult.

> π ο θ ῶ ν νομάς τε τήν τ᾽ ἐμὴν ἐρημίαν·
> ἐπεὶ δὲ κινεῖν, ἃ προεῖπον, ἠξίουν,
> ἔῤῥηξα δεσμά.

Hactenus vero Gregorius ab Apollonio differt, ut ipsa voce *κροαίνειν* adhibita omnem ambiguitatem vitarit, quae praeterea vol. XXXVII p. 1255 v. 17 sq. removetur *ἄλλους δ᾽ αὖτ᾽ ἀγοραί τε πολυσχιδέες*

---

[1] Falsa forma *τέτρυμμαι* (*τετρυμμένος*) comparet vol. XXXVII p. 437 v. 95; 1306 v. 8; 1362 v. 127; 1536 v. 209, vol. XXXVIII p. 51 v. 5, quo loco tamen Anthologiae Palatinae codex VIII 57, 2 *τετρυμένα* offert, quae scribendi ratio etiam vol. XXXVII p. 755 v. 1; 763 v. 100; 999 v. 395; 1236 v. 109; 1278 v. 83; vol. XXXVIII p. 31 v. 6 occurrit.

[2] Sic correxi pro *δοῦλον*.

θ' ἄμ' ἀγυιαί, | *ποσσὶ κροαινόμεναι, πέμπον ἐμοῖσι λόγοις* nec non Epist. 2 ibid. p. 24 A *τὰς πλάκας κατακροαίνων.* Nostro igitur loco *κροαινειν ποδας* reddas: terram pedibus pulsare admissa structura paululum contorta, quam emendatio *πέδον*[1] pro *πόδας* omnino expediret[2], nisi manum emendatricem retardaret Euripides El. 180 *εἰλικτὸν κρούσω πόδ' ἐμόν,* quamquam loci illius memoria (*πόδ' ἐμὸν* e *πόλεμον* effecit Canter) incorrupta sanitate non excellit[3].

Gregorium in versu Homerico *πεδίοιο* non cum *θείῃ* (cf. Kuehner-Gerth, ausf. Grammat. § 419, 2 a vol. II 1 p. 384 sq.), sed falso cum *κροαίνων* coniunxisse demonstrant aliae eiusdem versus imitationes: Or. XLIII 24 vol. XXXVI p. 529 B *ποιεῖ τὸν Ὁμηρικὸν ἵππον ὁ πόθος καὶ τὰ δεσμὰ ῥήξας*[4] *τῶν κατεχόντων κροαίνω κατὰ πεδίων καὶ πρὸς τὸν σύννομον ἐφερόμην* et XLIV 11 p. 620 B *νῦν δὲ ὑψαύχην ἵππος καὶ ἀγέρωχος τοῖς οἴκοις δυsχε-*

---

[1] Hac voce Gregorius in carminibus utitur vol. XXXVII p. 996 v. 352; vol. XXXVIII p. 18 n. 14, 4; p. 71 n. 18, 1.

[2] Cf. etiam Apollonius Argon. IV 1195 *ταρφέα σιγαλόεντι πέδον κροτέοντα πεδίλῳ,* tum Geopon. XVI 2, 4 p. 455, 18 sq. (Beckh) *ἀγαθοῦ δὲ ἵππου καὶ τοῦτο τεκμήριον, ὅταν ἑστηκὼς μὴ ἀνέχηται, ἀλλὰ κροτῶν τὴν γῆν ὥσπερ τρέχειν ἐπιθυμῇ.* Ex Brodaei coniectura apud Euripidem Herc. f. 1304 legitur *κρούουσ' Ὀλύμπου δῖον ἀρβύλῃ πέδον* (pro *πόδα*), nec praetereundus est Gregorii nostri locus Epist. 10 vol. XXXVII p. 37 B *κόπτω μὲν οἷον τοὔδαφος τοῖς ποσὶ κατὰ τοὺς θερμοτάτους τῶν ἵππων.*

[3] Cf. insuper Iphig. Aul. 1042 sq. *χρυσεοσάνδαλον ἴχνος* | *ἐν γᾷ κρούουσαι.* Alia est ratio apud Apollonium Arg. III 1309 *ῥίμφα ποσὶ κρούσας πόδα χάλκεον.*

[4] Memoratu digna est varia scriptura *διαρρήξας* pro *ῥήξας,* siquidem lectionem *δεσμὰ διαρρήξας* Etym. Magn. p. 51, 13 exhibet.

ραίνων[1] *καὶ τὰ δεσμὰ τυραννήσας κροαίνει κατὰ πεδίον* (*πεδίων* v. l.) *καὶ ποταμοῖς ὡραΐζεται*, quibus locis Homeri contextus *κατὰ πεδίου* commendat[2], Gregorii memoria *κατὰ πεδίων* vindicat, quippe qui ubique *δεσμὰ* dixerit (cf. etiam *ἐκ δεσμῶν βίας*), non *δεσμόν*[3], Homericam vocem *νομὸν* in *νομὰς* mutarit, ad *ποταμοῖο* alludens formam *ποταμοῖς* praebeat[4] cf. insuper Epist. 138 vol. XXXVII p. 276 B *καί μοι δοκεῖς καθάπερ οἱ Ἀχιλλέως ἵπποι παρ' Ὁμήρῳ*[5] *τὴν κεφαλὴν διάρας καὶ τὴν κόνιν*[6] *ἀποσεισάμενος, ἐπειδὴ*

---

[1] Phrasi *τοῖς οἴκοις δυσχεραίνων* locutionem Homericam *ἀκοστήσας ἐπὶ φάτνῃ* circumit Gregorius, neque aliunde verba *καίπερ κακοῖς τε καὶ νόσῳ τετρυμένος* fluxerunt cf. Eustathius Thessalonicensis ad Il. 6, 506 p. 658, 46 *ἄλλοι δὲ ἀκοστῆσαί φασι τὸ σχεῖν ἄχος ἐν τῷ ἵστασθαι*, quam interpretationem commemorat etiam Aristonicus (p. 126 Friedl.) *ἔστι δὲ ἤτοι ἐν ἄχει γενόμενος διὰ τὴν στάσιν* (*ἢ ἄκος τι καὶ βοήθημα τῆς στάσεως τηρῶν*) cf. praeterea Hesychius s. v. *ἀκοστήσας*, qui explanationi suffragatur (*ὃ καὶ βέλτιον εἴρηται*) aeque ac Schol. Hom. Il. vol. I p. 248, 17 Dind.; adde Etym. Magn. p. 51, 12 *οἱονεὶ ἀχοστήσας, τουτέστιν ἐπὶ στάσει δυσχεράνας*.

[2] Cf. Eustathius ad Il. 6, 507 p. 658, 54 sqq. *τὸ δὲ πεδίοιο ἢ τῷ θείει συντακτέον, ἵνα λέγῃ, θέει διὰ πεδίου ἢ τῷ κροαίνων, ἵνα ᾖ κατὰ πεδίου κροαίνων, ὅ ἐστι κρούων καὶ κροτῶν κατὰ τῆς πεδιάδος*. Per se ferri posse *κατὰ πεδίον* docet Nicephorus Basilaces Progymn. 2 (Rhet. Gr. vol. I p. 424, 8 Walz) *κατὰ λειμῶνα ἐκρόαινε*.

[3] Nisi *δεσμὰ διαῤῥήξας* legerat cf. p. 173 n. 4 supra.

[4] Similiter Eustathius Opusc. p. 223, 94 sqq. (Tafel) *οὐχ οὕτως οὐδὲ στατὸς ἵππος, ἀκοστήσας ἐπὶ φάτνῃ καὶ φαντασάμενος νομὰς παλαιὰς καὶ λουτρά, οἷς ἐναθύρων ἔβοσκε τὸ τῆς ἐπιθυμίας ἄλογον, τὰ δεσμὰ ῥήξας, ἐκεῖ τρέχει, ὅποι καὶ πρῴην ἐνέμετο*.

[5] Obversatur Gregorio Iliadis locus 17, 457 sq. *τὼ δ' ἀπὸ χαιτάων κονίην οὖδάσδε βαλόντε | ῥίμφ' ἔφερον θοὸν ἅρμα μετὰ Τρῶας καὶ Ἀχαιούς*.

[6] V. l. *κόμην* fortasse ad *τὴν κόνιν ἀποσεισάμενος* <*καὶ τὴν κόμην ἀνασεισάμενος*> ducit cf. Epist. 240 vol. XXXVII p. 384 A *ἐγὼ μὴν οὖν καὶ διανίσταμαι καὶ τὴν κόνιν ἀποσείομαι κατὰ τοὺς*

τοῦ ἀποπενθεῖν Πάτροκλον καιρὸς ἦν, αὖθις π ε δ ί ω ν ἐπιθυμεῖν καὶ ὅπλων καὶ ἐπιδείξεων.

Locutionem *ἦρα φέρειν* ab Homero (Il. 14, 132; Od. 3, 164; 16, 375; 18, 56) mutuatus Gregorius grammaticorum opinioni accessit, qui *ἦρα* pro accusativo singulari generis feminini haberent (cf. Herodianus vol. I p. 398, 7 sq. Lentz); quae observatio duobus poetae locis comprobata (vol. XXXVII p. 1266 v. 60 *Γρηγόριος θυλάκῳ ἦ ρ α φέρων ὀ λ ί γ η ν* et p. 1453 v. 12 *οἱ δ᾿ ἐμοὶ οὔτι φίλοις ἦ ρ α φέρουσ᾿ ὀ λ ί γ η ν*) nihil dubii relinquit, cum in censum veniunt vol. XXXVIII p. 108 v. 10 *καὶ τότε πιστεύσω μάρτυσιν ἦ ρ α φέρειν* et p. 98 n. 28, 2 *δαίμοσιν ἦ ρ α φέρειν, οὐ καθαρὰς θυσίας,* rectam viam monstrat in examinando versu vol. XXXVII p. 1448, 6 *ἕκτον Βασιλίῳ σύμπνοος ἱρὰ φέρον,* ubi *σύμπνοα* et Muratorii codices exhibent (Anecd. Gr. vol. I p. 115) et Anthologiae Palatinae memoria (VIII 79) agnoscit. Boissonadi enim emendatio, qui (apud Duebnerum Anthol. Gr. vol. I p. 550) *ἱρὰ* in *ἦρα* recte mutavit [1], scripturam *σύμπνοα* omnino excludit [2], lectionem *σύμπνοος* genuinam esse ostendit.

Ἀχιλλέως ἵππους, ὀψὲ γοῦν (ὀκνῶ γὰρ εἰπεῖν) καὶ τὴν χαίτην ἀνασείομαι.

[1] De corruptela cf. vol. XXXVIII p. 108 v. 10, quo loco *ἱρὰ* praebet Anth. Pal. VIII 172, 4. Traditae lectioni frustra patrocinantur Muratorius (p. 116) et Iacobsius (Anthol. crit. vol. III p. 427), cum praeter sermonis usum (*σύμπνοα ἱρὰ φέρον*) etiam historiae fides interpretationem repudiet, quaequidem Gregorium Nazianzenum et Basilium Magnum simul in presbyterorum ordinem receptos esse statuat.

[2] Sed vol. XXXVII p. 404 v. 40 *εἰ δ᾿ ἐπίηρα φέρων πατρὸς μεγάλου θεότητι* Gregorius Aristarchi contextum refert Il. 1, 572

Vox *οἶμα*, quae impetum designat apud Homerum (Il. 16, 752 *οἶμα λέοντος ἔχων*, 21, 252 *αἰετοῦ οἴματ' ἔχων* cl. 8, 349 *Γοργοῦς ὄμματ' ἔχων ἠδὲ βροτολοιγοῦ Ἄρηος*, ubi *οἴματ'* pro *ὄμματ'* Aristarchus legerat), viae notionem induit apud Gregorium vol. XXXVII p. 1314 v. 106 in comparatione ab equi cursu sumpta (v. 105 sqq.):

> *αἴθε δὲ καὶ νόον ἦεν ἀτάσθαλον, ἀστατέοντα*
> *τῇ καὶ τῇ πολλοῖς οἴμασι μαψιδίοις*[1]
> *κάμπτειν τέρματος ἆσσον, ἐπὶ στρεπτῆρι χαλινῷ.*

Cui interpretationi etsi favere videntur substantiva *οἴμη* et *οἶμος*, nihilominus iniuria *οἴμασι* e codice Coisliniano receptum esse puto, nec tamen vulgatae lectionis *ἤμασι* patrocinium suscipio, ut quae sensu plane careat. Gregorius procul dubio *ἴθμασι* scripsit, quae veterum editionum memoria falso oblitterata est cf. vol. XXXVII p. 889 v. 72 *τῇ καὶ τῇ σοβαροῖς ἴθμασι κινυμένην* cll. p. 585 v. 82 *καὶ ἴθματα πόρνον ἔχει τι*[2], p. 769 v. 48 *ἴθμασιν ἐν τρομεροῖς*, p. 1548 v. 85 *καὶ ἴθμασιν ὕβρις ἔπεστι*[3].

μητρὶ φίλῃ ἐπίηρα φέρων λευκωλένῳ Ἥρῃ et 578 *πατρὶ φίλῳ ἐπίηρα φέρειν Διί.*

[1] Malim *μαψιδίως* ad Homeri exemplum *μαψιδίως ἀλάλησθε* Od. 3, 72 et 9, 53 (= Hymn. Apoll. 453), quod verbis *μὰψ ἀλάλησθε* reddidit Gregorius vol. XXXVII p. 1301 v. 13 (= p. 1558 v. 90); cf. praeterea p. 1356 v. 41 sq. *πολλὰ μὲν ἐν κραδίῃ μελεδήματα ἔνθα καὶ ἔνθα | στρωφᾶται, κενεὰ πλαζομένοιο νόου* et p. 1010 v. 541 sq. *μικρὸν δέ τι λείψανον* (scil. *ψυχῆς*) *αὔτως | πλάζεται ἔνθα καὶ ἔνθα.*

[2] Aliter vol. XXXVIII p. 88 n. 13, 3 *καὶ ὄμματα πόρνον ἔχει τι.*

[3] Vocabuli origo ex Homeri lectione repetenda est Il. 5, 778 *αἱ δὲ βάτην, τρήρωσι πελειάσι ἴθμαθ' ὁμοῖαι* cl. 13, 71 *ἴχνια γὰρ μετόπισθε ποδῶν ἠδὲ κνημάων*, quo loco varietas scripturae *ἴθματα* pro *ἴχνια* comparet.

Loci subobscuri sententiam, ubi *νοῦς* equus est, *τέρμα* Christus [1], explanant alii Gregorii versus, qui in editionibus corruptela laborant vol. XXXVII p. 603 v. 315 sqq.:

μηδὲ νόος πλάζοιτο [2] *φορεύμενος ἔνθα καὶ ἔνθα,*
τέρματος, οἷά τε πῶλος ἀεθλοφόρος κ' ἀδάμαστος [3],
τῆλε θέων, Χριστοῖο μεγακλέος.

Sic enim scribendum, non *Χριστοῖο μέγα κλέος* ('o magnum Christi decus!'), quae memoria Coisliniani codicis scripturam *μεγαυχέος*, a Caillauio receptam, provocavit cf. vol. XXXVII p. 1315 v. 109 *μᾶλλόν κε Χριστοῖο μεγακλέος ἆσσον ἐλαύνων,* — p. 784 v. 31 *ὃς πολλὰ Χριστοῖο μεγακλέος εἵνεκ' ἀνέτλη,* p. 1263 v. 17 *τοῖς καὶ Χριστοῖο μεγακλέος ἀρητῆρσι,* p. 1573 v. 279 *πάντ' ἔθανε Χριστοῖο μεγακλέος αἵματι σεπτῷ,* vol. XXXVIII p. 70 v. 7 (de Carterio) *ἀστεροπὴ Χριστοῖο μεγακλέος* [4]. Quibus exemplis nixus [5] vol. XXXVII p. 428 v. 53 *σιγάσθω Χριστοῖο μέγα κλέος ἄγγελος ἀστὴρ* sine haesitatione *μεγακλέος* repono [6]. Notabilis declinandi ratio (cf.

[1] Cf. etiam vol. XXXVII p. 785 v. 47 sq. (de monachis) *πολλάκι καὶ ζείοντι νόῳ, πώλοισιν ὁμοῖα | θερμοτέροις, νύσσης τῆλε φέρουσι πόδα.*

[2] Lectionis varietas *πελάζοιτο* falsa est cf. vol. XXXVII p. 1356 v. 42 *πλαζομένοιο νόου.*

[3] Hac scribendi ratione Gregorius usus esse videtur, non forma *κἀδάμαστος.*

[4] *Μέγα κλέος* falso offert Anthologiae codex Palatinus VIII 143, 1.

[5] Adde vol. XXXVII p. 1326 v. 9 (*Χριστὲ*) *μεγακλεές.*

[6] Diversa est structura XXXVII p. 410 v. 25 *Λόγος, Χριστοῖο μέγα κλέος,* tum XXXVIII p. 30 n. 39, 3 *Ἑλλάδιε, Χριστοῖο μέγα κλέος* et p. 74 v. 33 *Βασίλιε, Χριστοῖο μέγα κλέος,* quam allocutionem verba *οἱ μὲν γὰρ ἐσθλοὶ Χριστοῦ κλέος* (scil. *εἰσὶν*) explanant XXXVII p. 573 v. 677.

Kuehner-Blass, ausf. Grammat. vol. I 1 p. 437) his praeterea poetae nostri locis illustratur: *μεγακλέος* *Μαρτινιανοῦ* (vol. XXXVIII p. 36 n. 52, 1), *νίκης* (XXXVII p. 1540 v. 253), *Νόννης* (XXXVIII p. 21 n. 20, 3, ubi codex Patatinus Anth. VIII 99, 3 non recte *μέγα κλέος* exhibet), *σταυροῖο* (XXXVII p. 1564 v. 171), — *μεγακλέϊ θεότητι* (XXXVII p. 406 v. 58), — *μεγακλέα Καισάριον* (XXXVIII p. 18 n. 14, 1 = Anth. Pal. VIII 93, 1, quo loco *μέγα κλέα* in codice legitur), — *μεγακλέες Γρηγόριος Νόννα τε* (XXXVIII p. 54 n. 85, 1), *Εὐσέβιον, Βασίλισσα* (XXXVIII p. 76 n. 121, 1), *τελῶναι* (XXXVII p. 1278 v. 91), — *μεγακλέας* (de Nonnae liberis XXXVIII p. 52 v. 8 = Anth. Pal. VIII 36, 3, ubi Duebner Boissonadi opinionem secutus codicis scripturam *μέγα κλέος* perperam reduxit). Ad eandem normam redeunt etiam *ἀγακλέος θεράποντος* (XXXVII p. 1002 v. 433), *Μωσῆος* (XXXVII p. 1236 v. 117 et p. 1557 v. 85),— *ἀγακλέα Μαρτινιανὸν* (XXXVIII p. 31 v. 7), — *ἀγακλέες* apostoli (XXXVII p. 1553 v. 25), *ἱερῆες* (XXXVIII p. 38 v. 5), tum *κλέα* (XXXVIII p. 26 n. 32, 4), unde XXXVII p. 1422 v. 10 *ᾶ δυσκλέα μέν, ἀλλ' ὅμως ἀνεύθυνα* arsi *α* produci neque emendatione *δυσκλεᾶ* (cf. Kuehner-Blass vol. I p. 433) opus esse puto, immo etiam XXXVII p. 822 v. 130 *τὸ* (sic legendum cum Coisl. pro *τὸν*) *ἄνθος ὥρας δυσκλεῆ τὸν εὐκλέα* equidem *δυσκλέα* reposco.

Ad Flori epitomam.

Scripsit

Adam Miodoński.

Amoris, quem olim in Florum historicum susceperam, nunc redintegrati hanc tacitam pagellam testem esse volo. Itaque pro emergente affectu, quoniam neque ancipiti Marte proscribere neque audacius emendare gestio, iuvabit animum ad scriptoris verba adtendisse, quae ab interpretis patrocinio aliquam lucem accipere possint:

Praef. § 8: »a Caesare Augusto in saeculum nostrum haut multo minus anni ducenti, quibus inertia Caesarum quasi consenuit atque decoxit, nisi quod sub Traiano principe movit lacertos et praeter spem omnium senectus imperii quasi reddita iuventate revirescit«.

Florus Traiani ad bella consurgentis ita laudes celebrat, ut orationi pigmenta rhetorica adspergens eandem rem significantius duabus synonymis locutionibus exprimat: »movere lacertos et... quasi reddita iuventate revirescere«. Similis amplificatio conspicitur in eodem libello I 17, 1: qua (*sc.* secunda aetate) maxime viruit et quodam flore virtutis exarsit ac ferbuit (populus Romanus); I 22, 27: redeuntis et, ut ita dixerim, re-

viviscentis imperii. Non aliam rationem dicendi secutus est Curtius 10, 9, 5: non ergo revirescit solum, sed etiam floret imperium (sub Claudio). Praeterea particula »quasi« posteriori membro synonymo alibi etiam apud Florum inseritur: I 22, 23 Interim respirare Romanus et quasi ab inferis emergere; v. I 20, 2. Qua de causa bellica laude praestantem imperatorem putandum est unum atque unicum hoc prooemii loco nominari, qui populum Romanum resuscitaverit et ad altiora erexerit. Ne enim verba »movit et revirescit« cum C. Dukero[1] et M. Schanzio[2] ita intellegamus, ut perfectum ad Traianum, praesens ad aetatem Hadriani referatur, eo quoque prohibemur, quod in enuntiato: »et praeter spem... revirescit« peculiaris significatio temporis desideratur, quae praecedenti »sub Traiano principe« respondeat, et re vera de Traiano aptissime praedicatur, non item de Hadriano curiositatum exploratore, summa virium contentione i l l u m p r i m u m post Caesarem Augustum senescenti Romae p r a e t e r s p e m o m n i u m iuvenilem vigorem reddidisse[3]. Com-

---

[1] Haec sunt verba C. Dukeri a. h. l.: Nec quidquam obstat, quo minus coniungi possint »movit et revirescit« hoc sensu, postquam sub Traiano movit lacertos, nunc sub Hadriano revirescit (ed. Lugduni Bat. 1722).

[2] Gesch. d. röm. Litt. III (1905) p. 70.

[3] Tota prooemii clausula verbis Festi, Brev. 20: »T r a i a n u s post A u g u s t u m Romanae rei publicae m o v i t l a c e r t o s« in brevius contracta est. Vid. O. Jahn, Flori edit. praef. p. XLVIII et E. Woelfflin, Arch. lat. lex. XIII 79. — Contra Ungerum, qui sub M. Aurelio Antonino Florum epitomam scripsisse demonstrabat, haec inter alia quondam protuli: »Will man das Praesens revirescit von der Regierung des M. Aurel verstehen, so ist es klar, dass ein solcher Gedanke in die

positam autem esse praefationem Hadriani temporibus ex verbis: »sub Traiano principe movit lacertos« colligit O. Rossbach[1] invito quidem O. Hirschfeldio[2], qui nomine principis addito Traianum adhuc superstitem imperatorem designari putat. Sed ei, ad quod Hirschfeldius provocavit, exemplo Taciteo (Agric. 44: durare in hanc beatissimi saeculi lucem ac principem Traianum videre) opponitur aliud ipsius Flori in fragmento Dialogi Vergilius orator an poeta (p. 183, 13 Rossb.): »si tamen in illo orbis terrarum conciliabulo sub Domitiano principe certamini nostro adfuisti«, hic enim eodem modo mortuum Caesarem commemorari manifestum est. Quod vero interpretes Freinshemii[3], nisi fallor, vestigiis insistentes opinantur Florum, si Hadriano imperante historiae Romanae libros exarasset, mentionem Hadriani verecundiae et urbanitatis gratia facturum fuisse, hoc non temere excogitatum nolo infitiari, quamquam et illud constat, Florum ne imperatoris quidem adulatorem se praebere et ad

---

Worte, wie sie uns vorliegen, nur künstlich hineininterpretiert wird. Man vermisst im zweiten Gliede »et praeter spem« u. s. w. eine dem vorangehenden »sub Traiano principe« parallele Zeitbestimmung, und der Begriff des Ungeahnten (praeter spem) entspricht besser der ganzen Periode seit 29 vor Chr., als dem kurzen Zeitabschnitte von 50 Jahren«; cf. Anzeiger d. Akad. d. Wiss. in Krakau. Juni 1891 p. 220 et dissertationis: Czas powstania historyi Florusa (Quo tempore Florus epitomam composuerit) p. 5.

[1] Editionis Flori praef. p. XLIV.

[2] Anlage u. Abfassungszeit d. Epitome des Florus (Sitzungsb. d. Berl. Akad. XXIX (1899) p. 548).

[3] Apud Dukerum a. h. l.: »nec Hadriani mentionem omissurus erat Florus, si ipso iam imperante scripsisset«.

suum arbitrium agere suoque iudicio plerumque uti.

Ad quaestionem de tempore, quo Florus epitomam scripserit, solvendam comparationem locorum I 5, 8: »Idem tunc Faesulae (Aefula?) quod Carrhae nuper« momentum facere recte contendit O. Hirschfeld. Sed quem sensum comparationis eliciendum esse censet? Ecce sententiam Gossravi adoptat, qui ita ratiocinatur: »loca signantur (apud Florum), quae in extremis imperii finibus sita sunt... ultra Carras hic (Traianus) promovit terminos, ita ut ,nuper' Carras in fine positas esse, qui huius vixit tempore recte dixerit« (cf. O. Hirschfeld l. c. p. 549 adn. 4). Hirschfeldius tamen priorem tantum librum sub Traiano compositum, alterum, qui bella civilia et res gestas Augusti continet, initio imperii Hadriani ortum esse sibi persuasit. Cui opinioni difficultatem quandam subesse statuere licebit. Floro enim, qui utrumque librum Hadriani demum aetate edidit, si nihil aliud quam terminos denotare placuisset, dicendum erat: »Idem tunc Faesulae quod Carrhae nunc«, quia Hadriani temporibus, a quo Mesopotamiam statim omissam esse scimus, Carrhae aeque atque ante Traiani expeditionem finem imperii Romani contingebant. Si quid video, rem dubiam aliter explicaturus sum. Florus nempe non sine quodam acumine rhetorico ac consilio voces: quis credat, pudet, pro pudor[1] commemorationi locorum Latinorum

[1] I 5, 6 Sora — quis credat? — et Algidum terrori fuerunt... de Verulis et Bovillis — pudet — sed triumphavimus; ib. § 9: Coriolos quoque — pro pudor — victos adeo glo-

interiecit. Tam enim infirma fuisse primordia urbis auctor monebat, ut exigua et paene suburbana oppida tunc pro magnis et terribilibus haberentur[1]. Hunc morem pristinae urbis describendae apud antiquos scriptores latius evagatum esse Casimirus Morawski exposuit: »Postea vero urbs iam viribus firmior cum finitimis bella gerere coepit atque ex vicinis oppidulis triumphos egit, qui scriptoribus aevi imperatorum exiles videbantur et paene ridendi« (Rhet. Rom. ampullae p. 18). Quare non dubito verba laudata ita interpretari, ut sit sensus: expugnatae Faesulae tanti tunc fuerant momenti tantique causa gaudii, quanti Carrhae nuper a Traiano captae[2]. Similiter loquitur de Veis: Vei quanta res fuerit, indicat decennis obsidio (I 6, 8); ibid. 11 hoc tunc Vei fuere. Nunc fuisse quis meminit? (cf. I 12, 3). Itaque Florus hoc orationis tenore Carrhas imperante Hadriano non incommode cum oppidulo Italico comparare potuit.

---

riae fuisse sqq. Nomina oppidorum (Sora, Algidum) dedi ex sententia Hirschfeldii l. c. p. 549.

[1] Cf. quae adnotavit Freinshemius ad Flori I 5, 6 terrori fuerunt: »Florus hoc dicit ex praesenti habitu rem aestimantibus vix credibile fieri, tantam urbem ita debilem olim fuisse, ut haec oppida terrori esse potuerint«.

[2] Vid. dissert. (Czas powst. hist. Florusa) p. 8 et «Anzeiger« (l. c.) p. 222.

Inedita cura Philippi Callimachi.

Recensuit

Adam Miodoński.

I.

De corona tradita per Fanniam Suentocham.

Ite procul, lauri, celebres ornate triumphos
  Aoniosque viros Castaliumque chorum,
Cingite honoratas caeso Pythone pharetras
  Et date Phoebeae vivida serta lyrae;
Flexipedes hederae Bacchea petorrita velent   5
  Cumque suis foliis ambiat uva caput;
Amphitryoniades silvae fluvialis obumbret

I. Innixus sum codicibus: Vaticano 5156 saec. XV (B) fol. 6r—7r; Parmensi 327 saec. XVI (C) fol. 5r—5v; Vaticano 2869 saec. XVI (D) fol. 7v—9r; Barberino 1731 saec. XV (E) fol. 5r—6v. Quo de praesidio et de ratione, qua ad textum carminum Callimachi constituendum usus sum, exposui in scriptione: Philippi Callimachi et Gregorii Sanocei carm. inedit. corollarium (Cracoviae 1904) p. 6 — 10. Inscriptionem dedi ex libris BC; De corona a Fannia sibi data D; In coronam sibi per Fanniam datam E || Post versum sextum sequitur in cod. DE hoc distichon: Corniger aeria (aerea E) precingat tempora pinu | Faunus: Et in ferulae flore superbus eat || 7 Amphitrionides B; metro cogente ponitur patronymicum Amphitryoniades pro eo quod est Hercules; v. E. Bednara in Arch. l.

Frondibus hirsutas et sine lege comas;
Pallada paciferae circumdet ramus olivae,
10 Unde etiam vati grata corona datur;
Litoreis myrtis Venus insignita capillos
Inspargat templis flava piretra suis;
Pendeat ante aras passim verbena deorum,
Texta vel incircum fana beata liget;
15 Tarpeio sua salva Iovi sit quercus et inde
Festis servato cive corolla detur;
Navali murique caput sub laude coronet
Alter et in sertis obsidionis eat:
At mea Naiadum pulcherrima Fannia semper,
20 Ut nuper, texat florea serta mihi.
Aspice, quam vario distinxit in ordine flores,
Et quam naturae vincitur arte decus!
Est, fateor, numerus mirandus mille colorum,

---

lex. XIV p. 580 || obumbret] opacet DE || 12 Formam ,inspargat' tuentur omnes libri || Pro versibus 13—14 (Pendeat... liget) haec substituta sunt in cod. D: Gramine sed Mauors adamantina in *(sic)* ede columnas | Ornet nativis non secus ac hederis: | Verbena cumuletur honos solemnibus aris | Liminibusque sacris culminibusque simul || 16 detur] Ne quis praecedentis enuntiati gratia (v. 10 unde etiam vati grata corona datur) huic loco indicativum obtrudat, reputare velit correptam paenultimam verbi ,detur' exhibere etiam versum 48 teste codice B, in quo nonnulla similis licentiae exempla remanserunt velut mīlitare pro mĭlitare, fatīgatus pro fatĭgatus (conf. A. Miodoński, l. c. p. 9). Totum pentametrum ipse poeta postea mutavit: Detur servati civis ab hoste decus (cod. DE) || 20 florea vincla E; florea serta BCD; item initio posterioris hemistichii posuit Tibullus ,florida serta': I 1, 12. 2, 14 et Ovid. Fast. VI 312 || 21 quam vario] ceu vario DE || 22 Et quam n. v. a. decus BC; Unus ut alterius gratior esset ope D; Ingenioque artis gratia maior inest E || 23 numerus DE; splendor BC (quod minus aptum videtur propter insequens ,sine cultu' (27)

Sed magis artificis dignus honore labor:
Non opus hoc potuit rerum natura parare, 25
Sparserat at flores per loca multa suos:
Pars erat in pratis sine cultu atque ordine certo,
Haerebat duris altera nempe rubis:
Fannia sed nullo passim splendore iacentes
Legit et aetheriae texuit arte manus. 30
Tale fuit sertum, Venerem quo cinxit Apelles,
Taleque, cum rapta est, pulchra Lacaena tulit,
Talis et incedit variata coloribus Iris
Per nubes, Iuno, cum tua iussa vehit.
Sive manus doctos iuvat inspexise labores: 35
Pulcrius hoc ullum non habet orbis opus;
Sive iuvat multos pariter spectare colores:
His modo quem possis iungere nullus erit.
Adde, quod in mundo nihil est fragrantius usquam,
Sic sapit admixtus unus et alter odor: 40
Cedat huic Arabum messis Ciliciumque manipli,
Quicquid odoratum terra Sabaea vehit;

---

et ‚nullo splendore' (29) || 24 dignus honore labor] conspicienda manus DE || 27 sine cultu atque ordine E 2. m. supra versum; sine cultu sine ordine E 1. m., BC adversus metrum; quod offert D ‚sine lege sine ordine' numeris succurrit, sed displicet propter molestam eiusdem notionis (sine lege = sine ordine) iterationem || certo] libri praebent ‚serti' || 29—30 iacentes legit (= decerpsit)] Incertum, utrum flores dicat poeta iacentes, quia parvi sint incrementi sive proceris humiliores plantis, an verbo iacendi idem significare voluerit atque praesto vel ad manum esse. Suspicor scriptum fuisse ‚latentes' || 30 etherię C; ethereę BDE || 37 spectare colores] comprehendere flores DE || 39 mundo] terris D || 40 Sic sapit admixtus u. et a. odor] Ex multis mixtus tam sapit unus odor D || 41 Cedat hŭīc Arabum] Huic (monosyllabum) Arabum cedat D. Formam dativi iambicam (hŭīc) Romanorum poetas priscae et argenteae aetatis velut Terentium, Statium usurpare notum est; bis ante vocales admisit Terentianus (Maurus) versu 1375 et

Corycii non aura croci, non innuba laurus
Sic olet aut pomis arbor operta suis.
45 Non Iovis huic ausim ditem conferre tiaram,
Sint ibi pro gemmis sidera multa licet,
Non diadema tuum bacis auroque coruscum,
Phoebe, licet toti lux detur inde polo.
Quid mihi cum magno regalis honore coronae,
50 Sub qua curarum milia multa latent,
Dum caput in violis, melilotis atque hyacinthis
Et calthis abdat Fannia saepe meum!
Floribus ornavit divum simulacra vetustas:
Divitiis nostris gratior illa deo:
55 Inter mortales tunc passim numina mixta
Carpebant uno lancis in orbe cibos,
Stramineusque torus et tecta palustribus ulvis
Culmina saepe illis plus placuere polo.
Sed postquam nostros aurum concessit in usus
60 Et periit castus simplicitatis amor,
Deseruere hominum superi commercia seque
Caelestes intra continuere domos.
Grata deis florum mihi sint gratissima serta:
Flore meas cingat Fannia saepe comas.

1396. Cf. A. Werth, De Terentiani sermone et aetate, Lipsiae 1896 in annal. Fleckeiseni suppl. XXIII p. 325; Lindsay-Nohl, Die lat. Spr. p. 498 et A. Klotz in Archivo lat. lex. XV p. 403 || 42 vehit] gerit DE || 44 operta] onusta DE || 46 sint tibi B || 48 toti lux detur (datur 2. m. C, sed conf. v. 46 sint licet) inde polo BC (vide quae diximus de verbo dĕtur ad v. 16); caeli luceat inde decus DE || 52 abdat] ornet DE || 54 deis DE || 57—58 Distichon in cod. D hanc induit formam: Straminei-que thori tecte palustribus (producta syllaba pā) ulvis | Quam celum longe plus placuere case || 60 castus] castae D.

II.

Ad Somnum.

Quid me nocturnis infestas, Somne, figuris,
  Non tibi me tota luce dolere satis?
Est data nox homini ceu portus et hora quietis,
  Ne nimius solvat corpora fessa labor. 5
Me miserum! graviora pati sub nocte silenti
  Cogor et aspicio plura dolenda mihi.
Namque animum simulacra meum diraeque figurae
  Vexant et quicquid somnia taetra ferunt;
Et modo perfodi cerno mea pectora ferro,
  Indita nunc manibus vincula dura meis; 10
Interdum gemitus miserasque emittere voces,
  Interdum videor pallidus esse fuga;
Saepe madent oculi lacrimisque abrumpitur altus
  Somnus et est verus fletus in ore mihi;
Comminus armatis quandoque adducor inermis, 15
  Deque meo passim terra cruore rubet.
Sed, quod praecipue doleo, mihi saepe videtur
  Ardori nostro Fannia verba dare:
Hoc precor aeternus avertat Iuppiter omen
  Et faciat pura me colat illa fide. 20
Vera licet veniant quaecunque insomnia, dempto
  Hoc uno, invicto pectore ferre queo.

II. Praesto mihi fuerunt libri scripti: B fol. 36^v—37^r; C fol. 27^r - 27^v; D fol. 29^r—30^r; E fol. 46^r—47^r || 9 perfōdĭ] violata verbi perfŏdiendi quantitate eadem licentia, de qua ad v. 16 praegressae elegiae monuimus; transfigi D || 10 dira D || 14 mihi] meo D || 15 Poeta dicit se cum armatis inermem pugnare cogi, quare pro ‚armatus', quod omnes libri tenent, scribendum est ‚armatis' || 16 terra cruore rubet] membra cruore rubent DE || 17 doleo] torquet D || 19 aeternus] omnipotens D || 22 invicto] infracto DE || 23 odiosis] horrendis D; miseris E (con-

Sed quid me visis odiosis, Somne, fatigas,
  Cum possis placidus et bonus esse mihi!
25 Cur mea non afflas meliori tempora cornu
  Et mihi quae cupiam nocte videre paras?
Fac placidam fidamque mihi spectare puellam
  Iurantemque meo velle in amore mori;
Oscula det nobis numero vincentia frondes
30 Et sit in amplexus prompta venire meos;
Sit liceat fallax, illam tu finge fidelem,
  Sit mihi fas falsa credulitate frui:
Hoc si, Somne, facis, tibi farre et thure litabo,
  Inque tuis aris hostia nigra cadet.

Adnotationes.

I. De corona. V. 1 Ite procul lauri. Quae formula (ite procul) apud veteres poetas elegiacos saepe initio versus collocatur. Vide S. Kleemann, De libri tertii carm. quae Tibulli nom. circumf. p. 60. Eodem modo incipit Martial. 14, 47 Ite procul, iuvenes.

2 Aoniosque viros. Musarum choro adiungi Apollinem aut poetas (Musaeum et Thamyrim) demonstrant etiam antiquae artis monumenta, velut vasa rubris figuris ornata, in quibus Apollo et Musaeus lauro instructi finguntur. Ex operibus musivis unum nominandum puto Italicae Hispaniae in oppido inventum, quoniam Erato laureae

---

tra metrum || 24 possis placidus] placidus possis D || 26 para B || 27 fidamque] mitemque DE || 32 falsa] vana DE; utrumque adiectivum sententiae favet: ita occurrit et ‚gaudia vana' (Horat. epist. 2, 1, 188) et ‚gaudia falsa' (Vergil. Aen. 6, 513; Propert. I 8ᵇ, 3; alii).

ramum tenens in eo repraesentatur, quod insigne Musarum imagines raro exhibere videntur. Cf. O. Bie, De Musarum imagin., Berol. 1887 p. 11 sq. et 29; Roscheri lex. mythol. s. v. Musen col. 3287, 17.

3—4 vid. Ovid. Metam. I 559 sqq. Vergil. Ecl. 7, 61 sqq.

5 Flexipedes hederae adscitum ex Ovidio, Metam. X 99.

6 caput sc. Bacchi, cf. e. g. Ovid. Metam. XV 413 Victa racemifero lyncas dedit India Baccho.

7 silvae fluvialis. Quamquam in non nullis artium operibus (Roscheri lex. I 2175, 5. 2955, 34) Alcidae canna sive arundo tribuitur, quod genus virgultorum silva fluvialis dici potest, commodius tamen haec verba ad frondes populi arboris Herculeae tot litterarum et artificum monumentis celebratae referemus. Conf. Roscheri lex. I 2177, 20, 2927, 15 sq. — Ovidius, Heroid. 9, 64 Aptior Herculeae populus alba comae; Vergil. Ecl. 7, 61; Seneca, Herc. fur. 898 stantes sacrificus comas | dilecta tege populo; ibid. 916 Populea nostras arbor exornet comas; Statius, Silv. III 1, 185 (in describendo Hercule Surrentino): Populeaque movens albentia tempora silva.

8 hirsutas... comas. Vid. Ovid. Heroid. 9, 63 Ausus es hirsutos mitra redimire capillos. Eiusdem versus extrema verba: et sine lege comas afferunt Ovidii memoriam: Art. am. III 133 non sint sine lege capilli; v. Metam. I 477.

11 myrtis Venus insignita capillos. Corona murtea caput Veneris redimitum nummi Cnidii eleganter exprimunt. Ceterum evolvatur Vergilius, Ecl. 7, 61.

33—34 Cf. e. g. Ovid. Metam. XI 585 sqq.; ibid. 589 induitur velamina mille colorum | Iris; appellatur ‚Iris Iunonia' Metam. XIV 85. Iunxi ‚incedit per nubes' Vergilii memor: Aen. 9, 18 Iri, decus caeli, quis te mihi n u b i b u s a c t a m | detulit in terras? (= 10, 38 actam nubibus Irim); cf. ibid. 4, 700 sq. 10, 73.

42 Vid. Ezechiel 27, 22 Venditores S a b a et Reema... cum universis primis aromatibus (venerunt).

43 C o r y c i i... c r o c i. Plin. n. h. 21, 6, 17 prima nobilitas Cilicio (croco) et ibi in Coryco monte; cf. Horat. Sat. II 4, 68. Eodem versu quod ponitur i n n u b a l a u r u s in fine numerorum extat apud Ovid. Metam. 10, 92; innuba autem fuerat virgo Daphne in arborem laurum conversa.

54 g r a t i o r i l l a scilicet vetustas castam simplicitatem praestans, propter quam etiam corollae floreae deo erant acceptiores divitiis posteriorum temporum (v. 55—62).

II. Ad Somnum. V. 3 p o r t u s e t h o r a q u i e t i s. Item Seneca, Herc. fur. 1077 Pater o rerum (sc. somne), p o r t u s vitae, lucis r e q u i e s; Statius, Silv. 2, 1, 70 Tu (puer) domino r e q u i e s p o r t u s q u e senectae. Ut hic translatione ex arte navigandi sumpta condicio hominis ab opere ac labore vacantis, ita alias in sermone amatorio appellatur tranquillitas eorum, qui saevo amore non torquentur, velut apud Propert. 3, 24, 15 ecce coronatae portum tetigere carinae (audiatur hic M. Rothstein). Cf. R. Pichon, De sermone amatorio apud Lat. eleg. script., Parisiis 1902 p. 22 et 236 s. v. portus.

18 Fannia dicitur in somniis amorem poetae

verbis inanibus sive vana spe fallere, nam ‚verba dare‘ idem est in sermone amatorio atque ‚decipere‘: Terent. Andr. 211 quoi verba dare difficilest. Cf. Pichon l. c. p. 291 et Brandt ad Ovid. art. am. II 558.

24 placidus. Apud Statium, Silv. 5, 4, 1 appellatur Somnus ‚iuvenis placidissimus divum‘.

25 meliori cornu. Vid. Statius, Theb. 5, 199 morituram amplectitur urbem | Somnus et inplacido fundit gravia otia cornu; ibid. 2, 144 (fessos)... cornu perfuderat omni | Somnus; cf. Silius Ital. Pun. 10, 352. In prisca arte statuaria et in sepulcrorum imaginibus Somnum specie humana hic senis illic iuvenis indutum et soporiferum cornu tenentem fingi satis constat.

29 numero vincentia frondes. Vide Ovid. Metam. XI 614 sq. Somnia vana iacent totidem, quot messis aristas, | Silva gerit frondes, eiectas litus arenas. In simili re Catullo (carm. VII) basiorum copiam arenae aut siderum multitudine designare placuit; cuius generis locutionem ad immensum et quasi incomprehensibilem numerum exprimendum vulgarem nationum sollemnemque esse usum vix fusius demonstrem necesse est, cum A. Zingerle (Ovidius I p. 37 sq.) et A. Otto in Arch. l. lex. IV 27 non praetermissis Scripturae sacrae atque Homeri libris permulta congesserint exempla. His adiungere velim verba formulae poeticae, quae originem ex Oriente duxisse videtur: Henricus Pauper, De divers. fort. I 235 sq.: Pagina sit caelum, sint frondes scriba, sit unda | Incaustum, mala non nostra referre queant (Patrol. lat. 204). Cf. W. Klinger, Eos XI p. 14 sqq.

Thracograeca.

De nominum Haemi Scardique montium et fluminum Ja(n)tri atque Hebri originatione quaestiones.

Scripsit

Ioannes Rozwadowski.

1. De montis Haemi vocabulo.

Quamquam Guilelmus Tomaschek abhinc tredecim annis montis *Haemi* rectam opinor etymologiam publici iuris fecit, rem tamen retractare in animum induxi. Haec enim interpretatio neque argumentis idoneis probata, neque primigenia verbi significatio accurate enucleata esse videtur; accedit quod nonnullas fortasse novas rationes collegis doctis propositurus sum. Quae cum ita sint, spero me operae pretium facturum, si denuo atque uberius de hoc clarissimo vetustissimoque nomine agam, eoque magis, quod Guilelmi Tomaschek veriloquium, quamquam notum, tamen et parum notum et parum acceptum esse videtur. Quod autem dixi, me uberius de hac re acturum, noli pertimescere: agam quam brevissume potero.

§ 1. De nominis traditi forma fatisque.

Continuum montium iugum, quod Thraciam mediam fere dividit, Graeci τὸν Αἷμον (ut Herod. IV 49. Thuc. II 96. Strabo VII 3, 8) vel τὸ Αἷμον ὄρος (ut Hecat. fr. 143, 151. Strabo VII 5, 1)[1]) appellare consueverant. Cuius nominis, a Romanis quoque recepti, unicum nunc vestigium est nomen pagi, a Graecis habitati, quem incolae ipsi *Emon*, Turci autem *Eminé* vocant[2]). Est autem hoc medii aevi oppidum atque castellum in ipso adiacenti promunturio olim situm, *Emona* (vel *Emmona*, Ἔμμονα, Ἔμμωνα a. 1357) a monte *Haemo*[3]) dictum. Eadem nominis derivati forma propria est hoc tempore promunturii adiacentis *Eminé Burun*, quod in tabulis medii aevi geographicis (a. 1318) *Cavo de l'Emano* notatur idemque est atque vetus *Haemi promunturium*, Αἵμου ὑπώρειαι Graecorum. Tum etiam ea pars montium, quae longissime ad orientem solem promota abrupti huius promunturii specie in mare procurrit, hodie eodem nomine *Eminé Balkan* (vel *Eminé Dagh*), nuncupatur[4]). Vocabulum est satis antiquum, cum iam tabula Peutingeriana '*Monte Emno*' praebeat. Ceterum *Haemi* nomen prorsus evanuit et turcico vocabulo *Balkan*

---

[1]) Alios locos habes in libro Forbigeri Hdb. der alten Geogr. III² 734, ubi etiam semel tradita forma ὁ Αἷμις memoratur, quae nescio an falsa sit.

[2]) Nam etiam nunc illae Bulgariae regiones a Turcis potissimum tenentur.

[3]) cuius vocis spiritus asper post ut assolet evanuit.

[4]) quibus de rebus egit Constantinus Jireček, Heerstrasse von Belgrad nach Konstantinopel 140. Cesty po Bulharsku 590.

(h. e. 'mons') cessit. Bulgari patrio sermone Haemum *Stára planiná* 'montem veterem' appellant [1]).

§ 2. De vera origine eruenda.

GUILELMUS TOMASCHEK Die alten Thraker II 2, 90 (=Sitzber. der Wien. Ak. Wiss. CXXXI nr. 1) haec protulit: »Αἷμος, τὸ Αἷμον ὄρος scheidet Thrake in zwei Theile und schliesst die Ebene an der unteren Donau in ausgesprochener Flexur von drei Seiten ein, wie ein Gürtel, vgl. türk. *Ural*, russ. *Kamenoj pojas*. Der *h*- Anlaut ist ursprünglich, trotz späterer Formen wie Monte *Emno* TP., byz. ὁ Ἔμμων, Ἔμμονα, bei Edrisi *Eimon*, türk. *Eminé-burún*; daher nicht skr. *éman* 'Passage' zu vergleichen, sondern europ. **sei-mn̥*- 'Band, Seil, Gürtel', skr. *sīmán*- 'Scheitel, Grenze', Wz. *sei*, *sī* 'binden'; *ai* für *ei* wie nicht selten im Armen. und in phryg. *aini* 'derjenige' neben skr. *éna*«.

Quamquam praeter nomina vocabulaque allata omnia fere falsa sunt, tamen, id quod mox viderimus, *Haemi* nomen apte cum palaeoind. *sīmán*- comparatur ideoque verba viri optime de litteris nostris meriti integra exscripsi.

---

[1]) primum apud IOANNEM GUNDULIĆ, poetam ragusanum (1588—1638; secundum CONST. JIREČEK l. c.). C. JIREČEK Fürstentum Bulg. 3 adn. 4 putat talibus in compositis (saepissime *Stára Reká*) vocabulo *star* sensum potius magni cuiusdam quam veteris vel senis exprimi. At hic 'magnus' atque 'vetus' idem sunt, nam quod priscum vetusve saepissime etiam magnum sive grave vel principale est...: nonne saepissime magni fluvii, montes, arbores 'parentes' minorum appellantur? In poësi autem nihil inveniri potest, quod ab vita cotidiana alienum sit. Atque re vera eius generis nomina geographica frequentissima sunt. Haec insuper reputa: 'Gross-vater'...: 'Vater'..., ubi 'groß' proxime ad id accedit quod est 'senex',='Stára reká'...: 'reká'..., ubi 'star' pro 'magno' ponitur.

Nota. Alia quae viri harum rerum periti atque imperiti excogitaverunt [1]), omitto, hoc enim unum docent: Errare humanum est.

§ 3. Verba cognata, quae ut ita dicam familiam efficiunt, accuratius describuntur.

Graeca ἱμάς (ῑ) 'lorum', ἱμονιά (ῑ) 'funis quo aqua ex puteo ducitur' (quibus de vocibus v. CAROLI BRUGMANN Grdr.[2] II 1, 239) ⇐ ideur. ***sīmn̥-*, ***sīmōn-*; αἱμασιά 'saepes spinea, maceria' ⇐ ***saimn̥tiá*, αἷμος 'dumetum' ⇐ ***saimo-* [2]).

Palaeoind. *sīmán-* m. (f.) 'capillorum discrimen, vertex; confinium', *sīmánta-* m. 'id.', *sīmā* f. 'id.', *sīmānta-* m. 'fines, termini, cancelli', *sīmantī* f. 'femina' (quasi 'divisa, sulcata').

Germ. palaeoisl. *síme* 'restis, funis', palaeosax. *sīmo* 'id., laqueus, catena'; palaeoisl. *seimr* 'chorda, nervus', palaeosax. *seim* 'fines, confinium' (*-ei-* ⇐ ideur. *-ai-*). Eadem radix multis in vocabulis aliorum suffixorum ope formatis apparet ut:

palaeoind. *sítā* 'sulcus', *sétu-* 'ligans; ligamentum, vinculum; pons, agger' (= avest. *haētu-* 'agger'); lat. *saeta;* palaeoteut. (ahd.) *sîta* = palaeoisl. *síða* = neoteut. (nhd.) *Seite*, palaeoteut. (ahd.) *seita* 'funis, chorda' = neoteut. *Saite* (alia similia enumerat FR. KLUGE Et. Wtb.[5] sv.); lit. *saĩtas*, *sė̃tas* 'funis (alligando)' [3]), *sė̃tas* 'cribrum', lett. *saite* 'vinculum, laqueus', *sėts (sīts)* 'cribrum'; slav. *sětь* 'rete, tendi-

---

[1]) Cf. quae olim ipse G. TOMASCHEK Rosalia und Brumalia nebst Bemerkungen über den thrakischen Volksstamm, Sitzber. Wien. Ak. Wiss. 1867, 393 coniecit.

[2]) De vocibus αἱμασιά atque αἷμος vid. infra § 3 nota.

[3]) KRIAUŠAITIS Gram. 3. 5.

cula', *sito* 'cribrum', palaeoeccl. *sitъce* 'funiculus' (cetera MIKLOSICH Et. Wtb. sv. *si*-2 atque *si*-3);

germ. *Seil* (= ahd. *seil*...), *Siele* (= ahd. *silo*) 'lorum' (cetera KLUGE l. l. sv.); slav. *sidlo* 'laqueus' (cetera MIKLOSICH l. l. sv. *si*-2) cett. Addo etiam verbum (quod Graeci τὸ ῥῆμα dicunt): palaeoind. *syáti*, *sináti* 'ligare', lett. *sët (sìt)*, praes. *sënu (sìnu)* 'id.'; radix autem indoeuropaea est *sāi*- (cf. palaeoind. aor. *a-sā-t*...), v. verbi gratia HERM HIRT Ablaut § 91 [1]).

Nota. Graecas voces αἱμασιά, αἷμος huc spectare certum est, ut in primis argol. ἱμασσιά docet (v. COLLITZ-BECHTEL SGDJ. nr. 3362, 26. SCHULZE Quaest. ep. 89 n. 3). Quare optimo iure PRELLWITZ Et. Wtb. sv. ἱμάς, BRUGMANN Grdr. II 345 huc vocabulum rettulerunt (quamquam voce ἱμασσιά neglecta); perperam SCHRADER KZ. XXX 462 sq. SÜTTERLIN IF. IV 104 alii. Verbum αἷμος, quocum certe αἱμασιά cohaeret, nil impedit, quominus cum supra dictis ind. *sīmán*- ceterisque αἱμασιάν coniungamus: nam αἷμος sine dubio olim 'confinium' (*'miedza, Rain'*) indicabat, quae — confinia dico — cum non solum lapidibus, tumulis, aggeribus sed etiam adhuc usque rubis vepribus sentibusque nec non arboribus terminantur atque constituuntur, vox (αἷμος) paulatim sensum 'dumeti' adepta est: cf. got. palaeoteut. (ahd.) *marka* 'Grenze' (lat. *margo*...) iuxta palaeoisl. *mǫrk* 'silva', slav. **medja* (palaeoeccl. *mežda*...) 'confinium, limes': sloven. *méja* etiam

[1]) alia vocabula huius generis v. in lexicis etymologicis, velut (praeter citatos locos) ALOISII WALDE Lat. et. Wtb. sv. *saeta*, ADALB. PRELLWITZ Et. gr. Wtb. sv. ἱμάς (ubi falso etiam lit. *sēna* 'paries' allatum), ceteris.

'saepes, dumetum', serb. *mèђa* etiam 'fruticetum', slav. *krajь* 'margo' iuxta russ. dial. *kraj* 'silva' [1]), germ. *Rain:* francogall. *rain*, neoteut. *Hecke: Hag: hegen* cett. Confer etiam significationem latinae *saetae,* manifesto a densitate productae.

§ 4. Quibus expositis facile intellegitur, Guilelmum Tomaschek non recte propriam et pristinam vocabuli **sai-mo- (*səi-mo-)* significationem definisse; nam et *Haemi* natura situsque et omnia digesta vocabula docent, voci illi notionem 'funis (discriminis)', minime vero 'cinguli' attribuendam esse. Haemus re vera cisdanubianam planitiem, quae est paeninsulae pars dextera, continuis iugis mediam fere dividit. Neque hoc antiqui ignorabant, quod unus quisque aperte viderat videtque. Immo vero re parum explorata putabant, t o t a m Haemi paeninsulam altissimo iugo dividi, quae opinio ceteroqui usque ad saeculum XIX post Chr. n. permansit, qua de re evolvas in primis librum Constantini Jireček Heerstrasse von Belgrad nach Konstantinopel 141 (etiam Forbigeri Hdb. III² 734 n. 1). Accuratis autem huius temporis tabulis geographicis inspectis videbis Haemum nullum cingulum formare. Atque eo, quod verbum (ῥῆμα dico) palaeoind. *syáti*.. (v. supra) 'l i g a r e' significat, nulla difficultas paratur. Primum enim non de verbo vel radice agitur, sed de voce **saimo- (*səimo-),* quae iam temporibus indoeuropaeis quae dicuntur nihil aliud significaverat ac 'funem, restem, limitem, verticem' (v. supra); tum id, quod ligat

---

[1]) hoc exemplum e Fr. Miklosich lex. et. attulit Zupitza Germ. Gutt. 197 ad rationem *marka: mǫrk* illustrandam.

iungit, simul atque adeo eodem momento dividere sive separare manifestum est.

§ 5. Origo vocis accepta atque enucleata et cognatis et similibus montium nominibus comprobatur.

Duo vel tria novi affinia, eiusdem non solum radicis sed etiam thematis, montium nomina. Primum Ptolemaei (II 11, 5) 'ἡ Σημανοῦς ὕλη' vel 'ἡ Σημανὰ ὕλη'[1]) in Germania, quam vulgo viri docti montem huius temporis 'Thüringerwald' esse censent[2]). Quod nomen ex sententia RUDOLPHI MUCH Deutsche Stammeskunde (1900) 57 recte quidem Celtorum linguae vindicatur (propter vocalem *ē* credo indoeuropaeo *ei* comparandam) atque proprie idem atque germ. 'Strang' significasse dicitur[3]), quamquam nescio, quid sibi diphthongus *ei* velit? Sed fugit virum doctum *Semanam silvam* artissime cum *monte Haemo* cohaerere.

Tum item Ptolemaei (VII 3) 'τὸ Σημανθινὸν ὄρος' Indiae? Montium situs, quod sciam, incertus.

Denique, quod primo fortasse loco poni oportuit, nomen oppidi (non montis, ideoque in fine posui) Bithyniae bis traditum Σίμανα. Σεμάνη (TOMASCHEK l. l. II 2, 80; de [illegible] s v. PAULI KRETSCHMER

---

1) Codices etiam Σημανοῖς, Σήμανος, veteres editiones latinae *Semanûs* offerunt.

2) Alii potius montem 'Erzgebirge' putant esse, e. g. MÜLLENHOFF DA. IV 458, 531. BREMER IF. XIV 365 cett.

3) Viam monstravere ZEUSS atque MÜLLENHOFF, ille *Semnonum* gentis nomen ad ags. *seomian* 'vinctum esse': palaeoisl. *síme*... trahens, hic *Semnones* cum *Semana silva* coniungens, quod sane vix cuiquam placeat. FÖRSTEMANN Altdeutsches Namenbuch II[1] sv. nomen nudum habet. SCHÜTTE IF. XV (1903!) 326 dicit, etymologiam *Semanae silvae* ignotam esse.

Einl. in die Gesch. der griech. Sprache 225, ubi hoc optimum exemplum addendum). Memorabile est, vocem cognatam apud gentem cognatam occurrere!

Non cognata quidem, simillima tamen montium nomina eundemque sensum exhibentia:

germ. '*die Haar*' vel '*der Haarstrang*', angustum montis iugum in Westphalia;

rumun. *deal* 'mons' ⇐ palaeoserb. *dělъ* (scribitur *dѣlь*) 'mons, collis', serb. *d'ijel*, *dëo* 'mons', bulg. *děl* 'mons, collis, vertex', parvoruss. *dił* 'montis iugum, dorsum', pol. dial. *dziåł* 'montis declivitas, collis'. Cum vocabula slavica (in primis bulg., parvoruss., polon.) etiam ipsum montis dorsum, declivitatum simulque fluminum discrimina significent, luce clarius est, vocabulum idem esse atque slav. *dělъ* 'pars (Theil)'. Nescio igitur, cur Franciscus Miklosich vocabula separaverit. Quem Lucianus Malinowski Rozprawy wydz. filol. Ak. Um. XVII 7 secutus maiorem in errorem incidit atque vocabulum rumunae originis esse dixit. At contra *deal* Rumuni a Slavis mutuati sunt (quae ratio viros doctos in his litteris versatos non latet, cf. H. Tiktin Rumän. Elementarbuch § 49). Quod vocabulum (*dělъ*) saepissime invenitur pro nomine proprio usurpatum, ut bulg. *Rávni Djal* 'Wasserscheide zwischen Koprivštica und Klissura (1412 M.)' Jireček Fürst. Bulgarien 434, *Debel Děl* (in regione 'Trojan')..., similiter apud Polonos, Moravos..

germ. *Rennstieg*, *Rennsteig*, *Rennweg* (dial. *renn* = *rain*), quo de nomine v. g. Egli Nomina geogr. sv. haec habet: »eine vielfach in Deutschland vorkommende alte Bezeichnung für Grenzen kleinerer und grösserer Landgebiete und Volksstäm-

me, hauptsächlich aber Name der lang gestreckten Kette des Thüringer Waldes (uralte Grenze zwischen Thüringen und Franken), zugleich auch die Wasserscheide zwischen Main, Weser, Elbe«.

breton. *reûn*, *rûn* 'collis' = germ. *Rain* (fortasse etiam ir. *roen* 'via' huc pertinet).

Tum confer haec: germ. *Gebirgszug*, *-Kette*, pol. *pasmo* 'id.' proprie 'fila (certus numerus filorum)', *łańcuch* 'catena' alia, atque vide sis quae infra de monte *Scardo* dico.

§ 6. De spiritu aspero vocabuli *Haemi*.

Cum *s-* consonans in lingua graeca iam inde ab antiquissimis temporibus in *h-* abierit, nihilominus tamen in eadem lingua novum *s-* in initio vocabulorum postea exortum sit (aliis sonis in *s* immutatis), necesse est colligamus, Graecos montis *Haemi* nomen iam illa vetustissima aetate cognovisse atque usurpasse. Accedit, quod in Bithynia bis traditum oppidi nomen Σίμανα, Σεμάνη (v. supra) sine ulla dubitatione cum *Haemi* nomine cognatum, demonstrat, Thracas *s-* in fronte vocum positam servavisse [1]). Multo graviores rationes vestigiaque vetustissimi Graecorum ante Graeciam occupatam cum Thracibus commercii infra in capite de nomine *Ieteri* fluminis prolata invenies.

2. De Scardi montis nomine.

§ 1. De nomine vetere atque recenti.

Mons *Scardus* Illyriae non Thraciae est et quidem in confinio fere Illyriae romanae seu barbarae

---

[1]) quod exemplum rem apud Paulum Kretschmer Einl. in die Gesch. der gr. Spr. 235 obviam spero diiudicaturum esse.

et Illyriae graecae inter *Drilonem* (qui nunc *Drin* appellatur) et *Axium* (qui nunc *Vardar*) assurgit. Si praesentem rerum rationem spectas, in terra Albanorum (in provincia turcica Kosovo) situs est; sin Romanorum aevi divisionem Diocletianam sequimur, totus fere in Dardania, quae erat pars Moesiae superioris, in confinio Delmatiae, iuga sua verticesque tollit. Quod montis iugum Graeci τὸ Σκάρδον ὄρος [1]), Romani *Scordum* dicebant [2]); nunc autem *Šar (Schar-dagh, Šar planina)* vocatur.

Nota. Cum graecum Σκάρδος latinumque *Scordus* vocalibus inter se differant, non alienum fortasse erit monere, quid de hac discrepantia sentiam. Equidem puto vocabula reapse non multum distare. Reputa enim, graecam *o* sonum angustum, vicinum *u* vocalis habuisse, contra latinam *o* correptam aperto ore prolatam fuisse. Cum autem in dialectis illyricis brevis *o* sonum valde apertum, consimilem sono *a* vocalis habuerit [3]), non est quod miremur, hos *Scordum* illos Σκάρδον pronuntiasse. Ceterum eius modi differentias litterarum in nominibus antiquis et iisdem barbaris, ab auctoribus graecis romanisque aliquotiens traditis, non possum magni pendere. Certum est, *Scardum* ab ideur. **sqordho-* originem ducere, qua de re v. infra.

§ 2. De etymologia investiganda.

Si solum huius temporis nomen *Šar* novissemus, rumunum esse fidenter diceremus.

---

[1]) iuxta τὸ Σκάρδον ὄρος (Polyb. Ptol.) sine dubio etiam simpliciter ὁ Σκάρδος dicebatur (cf. Strab. VII fr. 10 ed. Müller-Dübner).

[2]) Liv.; locos vide in libro Forbigeri Hdb. d. alten Geogr. II² 553.

[3]) Kretschmer Einl. in die Gesch. der gr. Spr. 263.

Invenimus enim in dialectis rumunis eisque macedonicis vocabulum *šâră* (⇐lat. *serra*) non solum 'serram' sed etiam 'montis iugum' ('Gebirgskette') significans. Quo de vocabulo Sextilius Puşcariu Etym. Wtb. der rumän. Sprache I nr. 1519 haec etiam adnotat: »Der Sinnesübergang zu »Gebirgskette« (die sich aus der Ferne wie eine »Säge« ansieht) muß alt sein, da ihn das Rum., Cors. [*sera* monte] und Span. [*sierra* Bergkette] teilen«. Albanicum *šaře* eiusdem originis verbum (ex lingua latina receptum) solam serrae significationem praebet (G. Meyer Etym. Wtb. der alb. Spr. sv.). Cum tali autem nomine optime concinunt, quae Constantinus Jireček Cesty po Bulharsku 425/6 de forma aspectuque Scardi montis dicit: »černá jako mrak stěna ohromné Šar planiny s četnými zářezy...« (nigrum quasi nox latus ingentis Scardi montis cum crebris incisuris..).

Transeo ad montis antiquitus traditum nomen. Itaque dignum est memoratu, vocem *Scardum* eandem fere significationem olim habuisse, ut ex etymologia investigata colligimus. Nam manifesto atque artissime cohaeret cum hac verborum familia:

lit. *skardus* 'steep, precipice' (Lalis Dict. of the lith. and engl. lang. I sv.); *skardai*, *skardis* 'urwisko gór, stromości' (Miežinis sv.); *skar̃dis*[1]), *skardỹs*, vide etiam apud Augustum Leskien Bildung der Nomina im Lit. 289. Ablaut im Lit. 343; *àt-skardis* 'kosogór, nadurwisek, urwisko' (Juszkiewicz sv.); *skardus* 'praeceps, praeruptus' (Lalis,

[1]) accentus positus secundum Antonii Juszkiewicz *skàrdis* in Lex. sv. *àt-skardis*.

MIEŽINIS, LESKIEN Nomina 250. Ablaut 343). E quibus in primis vox *skardas* 'declivitas, praerupta (montium)' eandem ac *Scardus* primigeniam formam ideur. **sqordho-* prae se fert.

palaeoisl. *skarð* 'scopulus, rupes, fauces' ≙ *sqordho-* [1]);

slav. **skorda* 'occa' atque **skordīti* 'occare', quod verbum denominativum quidem videtur, proxime tamen accedit ad lit. *skárdyti* [2]) 'frendere, scindere, exinterare' (KURSCHAT sv. *schroten*, MIEŽINIS) atque lett. *skardīt*. Parvoruss. *skoróda* est 'carex dentata'.

Aliam vocalem exhibet slav. **o-skŗdъ* [3]) = prut. *scurdis* 'ascia, rastrum', aliam lit. *skerdžiù skeȓsti* 'caedere, skardyti'.

Sed haec hactenus, nolo enim omnia omnium cognatarum linguarum huc spectantia verba dinumerare, praesertim cum paene innumera sint. Breviter tantum dicam, thema **sqer-dh-* || **sqor-dh-* proprie primoque vim scindendi, dissecandi habuisse [4]) atque ad longe lateque per linguas indoeuropaeas vulgatam radicem *sqer-* pertinere, cf. verbi gratia ERNESTI ZUPITZA Germ. Gutturale 154 sq. 157.

---

[1]) fortasse etiam *sker (skœr)* 'id.', v. NOREEN Altisl. Gr.[2] 146 § 253, 2 (ZUPITZA Germ. Gutt. 154 nota).

[2]) cuius accentus optime cum russ. *skoróditi*, pol. *skródzić (skrudzić)* consentit. Singula vocabula slavica v. in FRANCISCI MIKLOSICH lex. etym. sv., quibus pol. *skródzić* addendum.

[3]) singulas voces habes apud FR. MIKLOSICH sv. *oskŭrdŭ*.

[4]) quod ceteroqui ex unico lit. *skardus* colligere liceat, significat enim non solum montem praeruptum, sed etiam vocem claram. Patet igitur pristinam vocabuli vim fere eandem fuisse atque lat. *acutus*.

§ 3. Similia montium nomina afferuntur.

Equidem timeo, ne talia afferens simul lectori satietatem afferam. At brevis esse studeo atque ex magna copia aliquot tantum vocabula vel etiam nomina propono, quibus, quae supra dixi, melius illustrentur. Itaque considera talia velut celeberrimas Sveciae rupes, quae *Skären* (= germ. *Scheeren*) appellantur, montis iugum *Egge* in Westphalia verticesque *Grosse und Kleine Egge* montis qui *Lippischer Wald* dicitur [1]), iugum *Crnokosa* (MILIĆEVIĆ, Kneževina Srbija 577; de *kosa* v. infra); vel vocabula ut lat. *rupes* (: *rumpere*), pol. *skała* 'rupes' (: *szczelina* 'rima, fissura': radix *sqel-* ‖ *sqer-*), serb. *kosa* 'Haarflechte; Sense; montis iugum laterale', germ. *Kamm* = pol. *grzebień* (*Polnischer Kamm* = *Polski grzebień* montis qui *Tatra* dicitur) cetera. Cf. alia in AUGUSTI FRID. POTT Etym. Forsch.[2] II, 3, 159 sq. atque in aliis libris etymologicis.

§ 4. Quo modo *Šar* nomen ad *Scardum* referri possit, videamus. Videre iubeo, at ipse in hac quaestione parum prospicio, qui linguam albanicam primoribus ut dicitur labris tetigerim. Cum eiusdem radicis *sqer-* verbum albanum *har̄* 'sarrire, runcare, arbores exsecare' sonet [2]), unus quisque videt, vocem *Šar* et albanam esse et ad eandem radicem pertinere non posse. Aut igitur nomen *Šar* rumunum est (v. supra), vi quidem simili sed origine ab eo quod est *Scardi* aliena, aut fortasse

---

[1]) De *Skären* atque *Egge* qui plura scire vult, inspiciat libros familiares ut ita dicam, qui apud Germanos appellationem 'Konversationslexikon' habent.

[2]) vel *hal'ε* 'squama, spina (piscium), assula': *sqel-*, quae est gemina radicis *sqer-* forma; v. CAROLI BRUGMANN Grdr. I[2] 582.

š consonans vocis *Šar* vetustiorem speciem albanicae *h*- repraesentat. Nam facile intellegitur, ideur. consonantes *sq*- non statim in sonum *h*-, sed interposita demum consonanti *š*- vel simili elemento praegresso quondam abiisse. Illo igitur tempore, quo vetus *Scardus* apud quandam gentem illyricam albanicae cognatam quasi **Šar(d)* sonabat, cum haec gens iam ῥωμαΐζειν linguamque patriam relinquere incipiebat, montis nomen nimirum iam hac forma indutum propagatum est eoque magis, quod interea illae ῥωμαΐζοντες gentes sonum *š* (latino *s* plurifariam in *š* immutato) in sermonis consuetudinem receperunt. Quod nomen itaque, *Šar* dico, postea et Slavi immigrantes et Albani ipsi sedibus in illas regiones promotis [1]) invenerunt suumque fecerunt. Rem plane disceptare non possum. Confiteor tamen — humanum est — mihi ipsi hanc alteram explicandi rationem, quam proposui, satis placere. Sed vide, quae infra § 5 dicturus sum.

§ 5. Addenda.

Plerique putant, *Scordiscos* qui et *Scordistae* appellantur, a *Scardo* monte nomen accepisse, cf. Diefenbach Origines europaeae 140 sq. Holder Alt-celt. Sprachschatz sv. Equidem valde dubito.

Ponti Armeniaeque mons, a Ptolemaeo Σκορδίσκος nuncupatus, a Strabone, cui maior fides habenda est, semper Σκυδίσης (Σκοιδίσης, οι = υ ut vulgo) appellatur, v. Forbigeri Hdb. der alten Geogr. II² 57. Strabonis ed. Müller-Dübner (appar. crit. indicemque).

---

[1]) cf. Holgeri Pedersen KZ. XXXVI 299—305 opinionem de Illyriis atque Albanis atque ea, quae infra § 5 exposita sunt.

At *Scardona*, oppidum Dalmatiae (v. locos in libris citatis FORBIGER II² 557 nota 92. HOLDER sv.; nunc *Scardona*, apud Slavos *Skradin*) non specie sed reapse huc spectare videtur, quod facile intelleges, si oppidi situm accuratae tabulae geographicae ope perspexeris. Quod si ita est, res magni momenti esse videtur ob consonantes *sk*-servatas, nam hoc modo discrimen inter Albanos Illyriosque septentrionales intercedere comprobatur. Confer etiam quae dixeram in disputatiuncula de *Candavia* vetere (Materyały i Prace Kom. jęz. Ak. Um. II 344 sqq.). Monendum etiam est, Albanos veterem *Scodram* (nunc in litteris *Skutari* dictam), quae urbs gentis caput hoc tempore habetur, *Škodra* appellare; simili modo vetus nomen '*Scampa*' [1]) nunc apud eos *Škumbi* sonat, quae quandam vim ad quaestionem de antiquis Albanorum sedibus promovendam habere videntur. Est enim quaestio haud parvi momenti, quae tamen hoc loco fusius tractari non potest. Inspicias libellos citatos, ubi etiam alii libri afferuntur (BRUGMANN Kurze vgl. Gr. § 2 Anm. 1).

3. De Ja(n)tro flumine.

Fluvium dico, qui nunc Bulgariae est nomenque *Jantrae* obtinet ac dextera in Danubium influit. Quod nomen tot saeculis praeterlapsis pri-

---

[1]) *Scampa* oppidum Illyriae graecae ad fluvium *Genusum* situm, quod nomen oppidum perdidit (nam nunc *Elbassan* vocatur), at fluvius (vetere *Genusi* vocabulo deperdito) retinuit, *Škumbi* enim dicitur. Cf. disputatiunculam meam l. l.

stinam formam Thraciam melius conservavit qua graeca Herodoti temporibus usitata!

§ 1. De nominis formis fatisque.

Secundum temporum ordinem digestae ha nominis formae occurrunt: Ἄθρυς apud Hero IV 49, *Ieterus* Plin. III 149 (itemque H. KIEPE Formae orbis antiqui XVII), *Iantrus* Tab. Peu *Iatrus* Iordanis Get. 18 atque Geogr. Ravenn IV 8, Ἰατρός Theophyl. Sim. VII 14 p. 296 (s a. 600), *Ietar* a. 1640 apud episcopum Bogdanu Ἰετέρ apud metropol. Meletium († 1714); nu a Bulgaris *Jántra*, sed in superiori parte *Jétъr* v catur. TOMASCHEK Die alten Thraker II 2, 9 idem in PAULY-WISSOWA Real-Encykl. sv. *Athr* JIREČEK Gesch. der Bulgaren 38 sq., idem Für Bulgarien 9 n. 3 = Cesty po Bulharsku 156 n. 2 MÜLLENHOFF DA. III 126.

Bulg. *Jétъr* ex **Jętrъ* ortum est; altera bulg. fo ma *Jántra* vocalem nasalem conservavit, sive qu ad illum fluvium diutius gentes bulgaricae v aliae sedes habebant, quae vocales nasales n immutabant, sive quia nescio qua de causa hoc nomine, ut in aliis singulis vocabulis[1]), v calis naribus apertis pronuntiabatur. Itaque form saeculi XVII *Jetar*, Ἰετέρ aperte sermonem neob garicum redolent. Sequitur, ut videamus, qu vicissitudines ceterae nominis formae subea Res est perspicua. Nam cum forma slavica, sa

[1]) ut *pĕndesè, pindesè (pętь desętъ); dĕvĕnsè, divin (devętь desętъ); grĕndъ, grindъ (gręda): pъndàr (pądar* in illis isdem regionibus, MILETIČ Das Ostbulgar. 80.68 (Schrift der Balkancommission). Nescio cur CONST. JIREČEK l. c. (F 9) dicat, formam *Jántra* turcicam videri. Quod etiam si veru esset, nil valeret, siquidem Turci nomen a Bulgaris didiceru

culis V—VII post Chr. n. ex ore Thraciae incolarum recepta, satis vetere tabulae Peutingerianae [1]) forma comprobetur, cumque forma *j-* in capite praebens iam primis temporibus post Chr. n. tradita sit, procul dubio graeca Herodoti forma Ἄθρυς repraesentat formam vetustiorem **Jănthru-s* vel **Jąthru-s* (cum *a* nasali), quae species secundum pronuntiationis leges graecae linguae in Ἄθρυς abiit. Mirum quam perantiquis temporibus haec mutatio facta est! Nomen enim Ἄθρυς ⇐ *Ἅθρυς ⇐ **Jănthru-s* ad tres vetustissimas easque omnibus linguae graecae dialectis communes pronuntiandi leges formatum esse perspicuum est; sunt autem hae: 1) *$\underset{\circ}{q}$ (⇐ *$\underset{\circ}{n}$) ⇒ α, 2) *$\underset{\wedge}{i}$- ⇒ *h* (qui est spiritus asper), 3) dissimilatio aspiratarum [2]). Ex quo efficitur, Graecos hoc nomen temporibus perantiquis cognovisse atque in usum suum convertisse. Quae res haud parvi est momenti ad antiquissimam eorum historiam illustrandam; cum enim idem fere nos doceant nomina *Haemi. Hebri Scardi*que, tum nomina Φρύγες: Βρῦγοι Βρύγοι Βρίγες [3]), opinionem GUILELMI TOMASCHEK sententiae PAULI KRETSCHMER praeferendam putaverim (Einl. in die Gesch. der griech. Sprache 229 cum n.).

---

[1]) saec. III post Chr. n., at utpote notum vetustiorem orbem pictum M. Vipsanii Agrippae (Augusti imperatoris aequalis) sequitur.

[2]) simulque praebet exemplum optimum spiritus asperi ex *j-* orti, tum vero aspiratae sequentis vi omissi.

[3]) Notum est, Phrygibus cognatas gentes Illyriae graecae atque Macedoniae, quae in Asiam non transmigraverunt, ita appellatos fuisse, v. G. TOMASCHEK Die alten Thraker I 27 sqq.

§ 2. De fluviorum nominibus cognatis nec non de eorum etymologia.

In districtu ('Kreis, powiat') *Nowogródek* provinciae ('gubernja') *Mińsk* (in confinio provinciae *Grodno*) fluvius est *Jatra*, qui a sinistra parte in fluvium *Mołczadź* [1]) influit (v. librum Słownik geograf. svv. *Jatra*, *Mołczadź*, *Nowogródek* atque tabulae geogr. austr. 1:200,000 segmentum *Słonim*); prope fluvium pagus situs est eiusdem nominis. Apud Lituanos, qui in illa regione (in provinciae *Grodno* districtu *Słonim*) tribus in pagis adhuc inveniuntur, hoc nomen *Jëtra* efferri ipse audivi (cf. etiam Eduardi Wolter Mitteil. der lit. litter. Ges. IV 167). Quod autem gravius est, in illis regionibus usque ad hoc tempus etiam forma *Jantra* usurpatur, quod quidem a Michaele Federowski, viro optime in his rebus regionibusque versato comperi [2]). Omnes tres formae *Jatra* (vulgaris alborussica), *Jëtra* atque *Jantra* inter se congruunt atque ad vetustiorem formam **Jętra* redeunt.

Tum fluvius *Jatrań* in districtu *Humań* provinciae *Kijów*, dextera in fluvium *Siniucha* (cum amne *Boh* confluentem) influens (Słownik geogr. svv. *Jatrań*, *Siniucha*) eandem formam veterem **Jętr-* ostendit. Quae nomina sine dubio artissime cum thracii fluminis vocabulo cohaerent.

Etymologiam aperiebat Guilelmus Tomaschek, parum feliciter in libro Die alten Thraker II 2, 92, melius in libro Pauly-Wissowa Real-Encykl. sv. *Athrys*, quod tamen adeo strictim perfecit, ut opinio

---

[1]) fl. *Mołczadź* flumini *Niemen* immergitur.

[2]) Quomodo fieri potuerit, ut forma *Jantra* servaretur, alio loco dicam, res enim breviter absolvi non potest.

eius nullius esset momenti. Equidem nolo nunc multa de hac re verba facere, cum alias dicturus sim, atque haec sufficiant. Descripta nomina ducta sunt a forma **jn̥-thr-*, cuius pars **jn̥-* ad stirpem **jan-* spectat: **jan-* autem est nasali dilatata forma radicis *jā-* 'vehementer tendere (niti, studere)', qua de radice v. Felicis Solmsen disputationem IF. XIV 426 sqq., in primis autem 433 sqq. (436). Nomen optime ad naturam quadrat: omnes tres fluvii, praecipue autem bulg. *Jantra* in superiore cursus sui parte verus torrens est (Jireček l. l.).

4. De Hebri fluminis nomine.

Hebri, maximi Thraciae fluminis, nunc *Márica* nominati, memoria nomenque adhuc vigent, unus enim trium rivorum, qui coniuncti flumen *Márica* efficiunt, hodie quoque *Ibъr* appellatur. Quod nomen cum antiquo *Hebri* vocabulo (Ἕβρος apud Herodotum ceterosque) non solum cohaerere, sed illud antiquum continuare, unus quisque videt; cf. verbi gratia quae Constantinus Jireček Fürst. Bulgarien 381 = Cesty po Bulharsku 82 dicit. Aliud quoque veteris nominis vestigium extat in pagi *Poíbrene* vocabulo, qui ad fluvium *Topolnica* dictum [1]) situs est. Quod vocabulum eodem modo ad *Ibъr* refertur ac pol. *Po-morzanie* ad *morze* 'mare', alia. Const. Jireček Cesty po Bulh. 239 n. (Fürst. Bulgarien 428) rem ita explicat, ut olim pagi incolas re vera ad '*Ibrum*' = *Hebrum*

[1]) *Topolnica* a sinistra in *Hebri* superiorem partem influit.

(= *Marica)* sedes habuisse atque inde demum transmigrasse statuat. Quae licet omnino impugnare non ausim, tamen cum antiquum rivi *Topolnica* nomen ignotum sit[1]), conici potest, etiam *Topolnicam* olim similiter appellatam fuisse, id quod saepe in rerum natura fieri solet (cf. *Wisła: Wisłok, Wisłoka* cetera).

Praeterea alter fluvius *Ibar* in terra Serborum invenitur, amnis enim, qui a dextra in fluvium 'dextera vel serbica *Morava*'[2]) appellatum influit, vocatur *Ibar* (gen. *Ibra*, paenultima accentu *ȉbar* elata). Quod nomen, quoniam optime cum bulgaro conectitur, utrumque enim ab vetustiori specie **Ibrъ* repetendum esse elucet, nihil obstat, quominus autumem, Slavos non graecum Ἕβρον posterioris aetatis (spiritu aspero amisso, cf. *Ebrus* Tab. Peuting.) mutuatos esse[3]) atque paulatim in **Ibrъ* immutavisse, sed in utriusque regionis sermone plebeio vetus nomen, quod paulo aliter ac graecum sonabat, invenisse. Temporibus, quibus Slavi Illyriam, Moesiam, Thraciamque occupabant, vox, quae postea formam **Ibrъ* (*Ibar, Ibъr* vocali -ъ omissa) subiit, aut **ibrъ* aut **jьbrъ*[4]) sonare poterat. Cum

---

[1]) H. Kiepert Formae orbis antiqui XVII dubitans *Bargum* vocat.

[2]) quae *Morava* a sinistra in magnam *Moravam* (Danubio se insinuantem) prorumpit.

[3]) in lingua enim Slavorum byzantium Ἕβρος formam **Jebrъ* aut certe in quarumdam bulgaricarum gentium sermone formam **Ebrъ* induisset.

[4]) nam **jь-* non in lingua Slavorum communi abiit in *i-*, ut saepe putant, sed singulae linguae slavicae etiam **jь-* habuerunt, quod post demum maxima ex parte (at non semper) in *i-* mutatum est.

autem graecum Ἕβρος optime thracium **Jebros* esse possit, colligimus *Hebrum* (et alterum illum fluvium) apud provinciales, Thracum Illyriorumque stirpem, vocabulo **Jébr(os)* (cum *e* angusta) appellatum fuisse, quam formam Slavi, **Jьbrъ* pronuntiantes, receperunt. Graeca thracii nominis forma nec non slavica eiusdem illyricique vocabuli invicem se tuentur atque demonstrant, graecum Ἕβρον antiquissimis temporibus a thracio **Jebros* ductum esse.

Nota. Simile vel idem fluminis nomen etiam in terra Russorum invenitur; est enim fluvius *Ibr*, is a sinistra in flumen *Teterev* illabitur (qui a dextra in *Borysthenem-Danaprum* evadit) scilicet in provincia *Wołyń* dicta. Dico idem esse nomen vel simile, nam hoc Russorum vocabulum etiam e vetustiore forma **eibro-* profectum esse potest. Haud scio an etiam Germaniae rivus, qui nunc *Ibra* nominatur (in provincia '*Hessen (-Nassau)*') huc spectet? Quibus de rebus atque de etymologia alio loco agam [1]). Interim sufficiant ea, quibus rationem inter graecam nominis formam atque slavicam intercedentem explicavisse mihi videor. Ceterum constat in etymis investigandis optimum atque adeo necessarium esse nomina verbaque cognata colligi eorum fata perquiri.

---

[1]) Etymologiam eruere frustra conatus est Tomaschek Die alten Thraker II 2, 93.

De Abrahami Fransi comoedia.

Scripsit

Guilelmus Creizenach.

Postquam collegae tui et discipuli haec philologiae latinae et graecae specimina tibi offerre constituerunt, me quoque, amicitia magis quam doctrinae genere tibi conjunctum adierunt, ut quasi Saulus inter prophetas aliquid, licet leve quiddam contribuerem. Accipe igitur, qua semper erga me fuisti comitate, hanc observatiunculam ad sexti decimi saeculi literas pertinentem, quibus ipse tam egregio successu incubuisti.

Comoediae et tragoediae latinae, quae Elisabetha regnante in Britannia, praecipue Oxoniae et Cantabrigiae fuerunt conscriptae, per saecula neglectae iacebant, donec nostro tempore viris doctis operae pretium esse visum est, ut investigetur, si quae ratio intercedat inter has fabulas et praeclaras illas, quae eodem tempore in theatris Londinensibus agebantur. Fabularum latinarum pars maxima nondum typis mandata est, unam cui titulus Victoria, ante hos duos annos Smithus in lucem

protulit[1]. Auctor fabulae Abrahamus Fransus, literarum anglicarum studiosis alioquin bene notus, dedicavit opus suum Philippo Sidneo, egregio heroi et Musarum cultori, qui omnium consensu inter primos illius aetatis viros numeratur. De Fransi vita et scriptis Smithus docte et copiose disseruit; quaestionem unde Fransus materiam comoediae sumpsisset, intactam reliquit. Hoc tantum animadvertit, Frangipetram militem, qui in comoedia prodit, e militum gloriosorum familia esse, item Sanctam anum ad garrulas nutrices pertinere, quarum clarissimum specimen in Shakespeari tragoedia, cui titulus »Romeo and Juliet« occurrit. Quoad Onuphrium, ineptum ludimagistrum, Amoris sagitta vulneratum, poëta, ut ait Smithus, Pedantium, clarissimae Cantabrigiensis comoediae latinae personam principalem ante oculos videtur habuisse.

Quas observationes Koeppelius, censuram editionis Smithianae scribens supplevit[2]. Recte Koeppelius observat, Fransum intertexuisse comediae suae materiam narrationis Boccacianae e libro qui inscribitur Decameron V, 2. Atque etiam in ceteris comoediae partibus — quod Koeppelium fugit — poëta non proprium secutus est ingenium, sed Comoediam italam Ludovici Pasqualigi, cui titulus est »Il Fedele« in linguam latinam trans-

---

[1] Victoria, a Latin Comedy by Abraham Fraunce, edited from the Penshurst manuscript by G. C. Moore Smith = Materialien zur Kunde des älteren englischen Dramas, begründet und herausgegeben von W. Bang, vol. XIV. Lovanii 1906.

[2] Anglia, Zeitschrift für englische Philologie. Beiblatt 17, 57.

tulit[1]. Quod quo luculentius pateat, personarum indicem, comoediae Pasqualiganae praefixum communicabo, adnotans res singulas, in quibus Fransus ab italo exemplari deflectit.

Interlocutori.

Fedele de' Cortesi innamorato.
Narciso servo.
Onofrio pedante.
Fortunio de' Gentili innamorato.
Renato servo [apud Fransum: Gallulus].
Cornelio marito di Vittoria.
Marcello spenditore.
Vittoria.
Beatrice serva [apud Fransum: Virginia].
Attilia serva.
Ottaviano Padre di Virginia.
Virginia donzella [apud Fransum: Barbara].
Santa nutrice.
Panfila serva.
Frangipietra bravo.
Medusa incantatrice.
Capitano e sbirri [apud Fransum: Apparitores].

Praeterea Fransus addit Pegasum, Onuphrii puerum, necnon Pyrgopolinicem et Terrepontogonum errones, qui in scenis e Boccacii narratione desumptis comparent. Ceterum retinet structuram comoediae italae, orationem persaepe ad verbum transfert. Proprium poetae britanni ingenium praecipue in ludimagistri parte apparet, quamquam sermo italus cum latino lepide mixtus, qui talium personarum partes in comoediis Italorum com-

---

[1] Il Fedele. Comedia del Clariss. M. Luigi Pasqualigo. Nuovamente posta in luce. Venezia 1576.

mendat, exprimi non potest in comoedia latina. Ut accuratius demonstrem, quomodo Fransus in hac parte Pasqualigum imitatus sit, addam exemplum ex actus primi scena quarta, ubi Onuphrius Fidelem a re amatoria deterrere contendit, eodem scilicet successu, quo jam ante tot saecula Lydus paedagogus in Plauti Bacchidibus idem facere conatus erat.

Onofrio: Io già ne l'hò provato e dice la regola: Rei satis demostratae [sic] quicquid adjicitur superfluum est, e perchè non si deverebbe [sic] far beneficio à chi recusa d'acceptarlo, mi penite, mi pute, mi tede, mi pige, mi rincresce avez gettato e l'oleo e l'opera, in fatto egli è vero quello che cantò Horatio: Adultus iuvenis tandem custode remoto | Cereus in vitium flecti, monitoribus asper, mi Raccomando, restate felice.

Apud Fransum Onuphrius dicit v. 306 seqq.

Ego illud satis confirmavi, et dicit regula,
Quod patet expresse, non est probare necesse.
et quoniam benefacta male locata malefacta arbitror,
poenitet, pudet, piget, vehementer doleo
sic oleum et operam perdidisse meam.
praeceptor legit, vos vero negligitis.
oportuit te, Fidelis, annum jam audientem Onuphrium,
abundare praeceptis institutisque philosphiae:
non sic indoctum redire domum, dedecorantem
et urbis auctoritatem et magistri.
Sed non male dixit autor valde bonus,
Adultus juvenis tandem custode remoto,
coereus in vitium flecti, monitoribus asper.
Non per dormire poteris ad alta venire,
sed per studere poteris ad alta sedere (exit iratus).

Eodem modo Fransus in aliis locis nugas e traditione scholastica adiungit. Quae verba ludimagistri Koeppelio Holophernem Shakespeareanum

in memoriam reducunt, verbotenus ex Italo exemplari petita sunt.

Restat ut addam, Pasqualigi comoediam non solum a Franso latine sed etiam ab Antonio Mundaio anglice versam fuisse. De hac translatione, circa annum 1584 impressa duo exemplaria conservata sunt non integra, inscriptione carentia[1]; sed qui Pasqualigi comoediam novit, unde materia sumpta sit dubitare non potest.

---

[1] De Mundai comoedia, e qua Halliwellus in libro, cui titulus »Literature of the 16. and 17. Centuries« (Londini 1851) quaedam excerpsit, alio loco agam.

Filologia Adama Mickiewicza.

Napisał

Józef Kallenbach.

Wiadomo, że Mickiewicz po ukończeniu czteroletnich studyów w Uniwersytecie Wileńskim przystąpił do egzaminów nauczycielskich z filologii klasycznej, literatury polskiej, rossyjskiej, filozofii i historyi powszechnej. Z filologii klasycznej egzaminował go G. E. Groddeck dnia 29 maja 1819 roku, stawiając bardzo szczegółowe pytania z historyi literatury greckiej, z mitologii, z nauki starożytności rzymskich, a mianowicie ze sposobu urządzenia prowincyj i t. d. Ogółem zadał Mickiewiczowi Groddeck dwadzieścia i trzy pytania, na które kandydat 21-letni »odpowiadał obszernie w języku łacińskim«. (Kor. IV, 42—43). Cały egzamin, którego protokół dość szczegółowy jest nam znany, dowodzi, że filologia klasyczna była już wtedy pojmowana w Wilnie w rozmiarach i dokładności, bynajmniej nie ustępujących dzisiejszym nawet wymaganiom. Po egzaminie ustnym odbył się egzamin piśmienny (klauzurowy) dnia 4 czerwca, poczem na posiedzeniu z dnia 22 czerwca 1819 roku »postanowiono, aby kandydat examinowany Mickiewicz napisał rozprawę: De criticae

usu atque praestantia«. Po obronieniu tej rozprawy otrzymać miał Mickiewicz stopień magistra filozofii.

Zaraz po wakacyach letnich 1 września 1819 roku objął Mickiewicz obowiązki nauczyciela III klasy w Szkole powiatowej Kowieńskiej. Stanowisko to było ze wszech miar uciążliwe. Mickiewicz wyrwany z Wilna, z grona filomatycznego ścisłą związanego przyjaźnią, ujrzał się naraz samotnym, pozbawionym towarzystwa miłego, bez zasobów naukowych, zostawionym samemu sobie. Musiał wypracowywać dla użytku własnego i uczniów swych »sexterna«, zeszyty notat, mających zastąpić mu podręczniki szkolne, których wtedy nie było jeszcze. Słabe wyobrażenie o tem, czego i jak uczył w Kownie Mickiewicz, dają zeszyty uczniów Kowieńskich spisane według rękopisów i ustnego wykładu nauczyciela. Zeszyty te wydało *Muzeum* w r. 1898 na str. 507—581. Mickiewicz streszczał głównie dzieło Grodka: *Initia historiae Graecorum litterariae* [ob. uwagi Stan. Schneidra p. t. »Mickiewicz jako filolog« (*Muzeum*, 1898, str. 410—416); tudzież Bentkowskiego *Historyą literatury polskiej* i Euzeb. Słowackiego *Kurs wymowy* (l. c. str. 509)].

Nie dają jednak te dochowane notatki uczniów dokładnego wyobrażenia o ciężkiej pracy zawodowej młodziutkiego nauczyciela, albo raczej rzucają na nią światło jednostronne. Wydawaćby się mogło, że Mickiewicz zadowolił się prostem powtarzaniem lub skracaniem sądów obcych. Zanim ukaże się szczegółowa Kowieńska korespondencya Poety z przyjaciółmi, pragnę w kilku bodaj rysach uwydatnić niepospolity trud nauczycielski Mickiewicza

i jego ówczesne filologiczne studya. Nauczanie łaciny i literatury polskiej nie było wyłącznem zatrudnieniem Mickiewicza, chociaż dawało mu już mnóstwo pracy. W jednym z listów donosi, że zaczął uczyć w piątej klasie i że wypracowywa »sexterna« na podstawie Walchiusa [1]. Prosi przyjaciół o przysłanie koniecznie mu potrzebnego Harlesa [2]. Odbywa studya metryczne i zamierza ułożyć krótką rozprawkę o metryce łacińskiej. Obmyśla równocześnie »plan ogólny« wykładania literatury polskiej. Narzeka na przeciążenie pracą. »Wyobraź sobie — pisze do Jeżowskiego — dzień dzisiejszy: po obiedzie, w klasie V i VI daję Historyą Rzymską, Prawo Polityczne, Historyą Polską, rossyjską Ekonomikę polityczną — wszystko to odczytać! Oj, te prawa! *horrendum* i dyabelskie historye!« Nic dziwnego, że w innym liście żali się: »Od początku życia literackiego tyle pracy nie miałem«.

Przytem myśleć należało o napisaniu rozprawy na stopień magistra. A przecież w młodzieńczej piersi gorzał zapał poetycki, nie zgaszony nawet takim nadmiarem szarej, codziennej, ciężkiej, obowiązkowej pracy.

Więc tłumaczy »kawałeczki z Wirgilego, Owidyusza, którego teraz nocturna et diurna manu wertuje«. »Com wyspieszył: Odkę Horacego posyłam i kilka wierszy Owidiusza«.

---

[1] J. G. Walch: »Historia critica latinae linguae«. Lipsk 1761.

[2] G. C. Harles († 1815), autor licznych antologij i chrestomatyj greckich i łacińskich. Wydał także: Introductio in historiam linguae graecae; Introd. in hist. linguae latinae; Introd. in notitiam literaturae Romanae.

Przekłady — to dorywcze, próbki natchnienia, które dziś jako cenne dowody filologicznych studyów przytoczmy bodaj w urywkach:

HORATIUS, Carm. II, 2.

Nullus argento color est avaris...

. . . .

Król większy, chuciom kto nie dał przewagi,
Niż gdybyś posiadł krańce Oceanu
I gdyby Tobie obiedwie Kartagi
Służyły panu.

. . . .

Tego niech zdobią w laur więzione włosy
I z berłem prawem Tyryjska powłoka,
Bogactw zwalonych kto mijając stosy,
Nie zwróci oka.

OVIDIUS, Trist. IV, 1.

Siqua meis...

»Jeśli błędy spotkają błędów w pieśni wiele,
Przez wzgląd słuszny darujcie błędom przyjaciele!
Za pociechą wygnaniec nie za sławą goni.
Pieśń dźwiga myśli, w gorzkiej grążące się toni.
Tak pieje kopacz więzień i pieniem bez kształtu
Ujmie trudu robocie, ujmie troskom gwałtu«.

Wogóle Horacy i Owidyusz zajmują go wtedy żywo [1]), z greckich zaś poetów Sofokles i Pindar. Grodek Pindara szczegółowo objaśniał i z jego to podniety Wiernikowski, przyjaciel filaret, niebawem ogłosi swój przekład [2]. Mickiewicz w Kownie

[1] Już w maju 1818 r. czytają Filomaci na posiedzeniu Towarzystwa swego Mickiewicza *Odę do Pyrrhusa*, naśladowaną z Horacego (Carm. III, 20). Z Owidego chciał w Kownie tłumaczyć *Przemiany*.

[2] Pindar. Niektóre celniejsze ody... przekładania Jana Wiernikowskiego. Wilno, 1824, str. 175. Egzemplarze tej książeczki należą dziś do wielkich rzadkości bibliograficznych! Łatwiej znaleść druk XVI-go wieku, niż tę filarecką pracę.

także próbował sił swoich w tym kierunku i radził się starszego filologa, Jeżowskiego, czy ma dalej tłómaczyć. Daję tu nieznany list Mickiewicza:

Do Jeża.

Posyłam, ile uchwyciłem Olimpii Pindarskiej; porównaj, poczyń uwagi, day zdanie, czy warto daley tłumaczyć; zresztą jest to pierwszy rzut pióra. Stanąłem, gdyż daley nie rozumiem, jeśli mam daley tłumaczyć.

OLYMPIA 1 [1].

STROFA CZYLI CHOR 1.

Najpierwszą woda istotą:
A jakoby żar ogniska
Z nocnych ciemności błyska,
Tak z wielmożnych skarbów złoto.
I pierś luba, jeśli płonie
Zwycięzkie zabrzmieć iazdy,
Nigdzie ty iaśnieyszey słońca
Dniem inney nie patrzay gwiazdy
W przepaścistem niebios łonie,
Ani innych piey Bardonie
Nad Olimpii gońca [2].
Skąd duchem mędrców hymn znamienity,
By uwielbić plemię Krona,

Στρ. ά.

[1] »''Αριστον μὲν ὕδωρ, ὁ δὲ χρυσὸς αἰθόμενον πῦρ
ἅτε διαπρέπει νυκτὶ μεγάνορος ἔξοχα πλούτου·
εἰ δ' ἄεθλα γαρύεν
ἔλδεαι, φίλον ἦτορ,
μηκέθ' ἁλίου σκόπει
ἄλλο θαλπνότερον ἐν ἁμέρᾳ φαεννὸν ἄστρον ἐρήμας
δι' αἰθέρος·
μηδ' Ὀλυμπίας ἀγῶνα φέρτερον αὐδάσομεν·
ὅθεν ὁ πολύφατος ὕμνος ἀμφιβάλλεται
σοφῶν μητίεσσι, κελαδεῖν

[2] Pierwotnie: Nad Olimpijskie iazdy.

Pod pańskie wystąpi szczyty
W święto Dworca Hierona.

DRUGI CHOR

Łaskawym co berłem włada
Sycyliy, możney w stada.
On wszystkich cnot blaskiem płonie,
Muzyków on kwiat i czoło,
Jacy przy biesiadnym gronie
Nieraz igramy wesoło.
Ale weź bardon ze ściany
I piey na Doryckiey stronie,
Jeżli ci pizańskie łany
Myśl do słodkich dumań bodą.
I konia wygrańca [1] chluba
Co po nad Alfeiu wodą
Lotnem ciałem u rydwana
Zwycięstwo zgonił dla Pana,

OBADWA CHORY

Syrakuzana, rumakoluba
Krola. Blask jemu w dalekiey stronie,

Κρόνου παῖδ', ἐς ἀφνεὰν ἱκομένους
μάκαιραν Ἱέρωνος ἑστίαν,

Ἀντ. ά.

θεμιστεῖον ὃς ἀμφέπει σκᾶπτον ἐν πολυμάλῳ
Σικελίᾳ, δρέπων μὲν κορυφὰς ἀρετᾶν ἄπο πασᾶν·
ἀγλαΐζεται δὲ καὶ
μουσικᾶς ἐν ἀώτῳ,
οἷα παίζομεν φίλαν
ἄνδρες ἀμφὶ θαμὰ τράπεζαν. ἀλλὰ Δωρίαν ἀπὸ φόρμιγγα πασσάλου
λάμβαν', εἴ τί τοι Πίσας τε καὶ Φερενίκου χάρις
νόον ὑπὸ γλυκυτάταις ἔθηκε φροντίσιν,
ὅτε παρ' Ἀλφεῷ σύτο δέμας
ἀκέντητον ἐν δρόμοισι παρέχων,
κράτει δὲ προsέμιξε δεσπόταν,

Ἐπ. ά.

Συρακόσιον ἱπποχάρμαν βασιλῆα. λάμπει δέ οἱ κλέος
ἐν εὐάνορι Λυδοῦ Πέλοπος ἀποικίᾳ·

[1] W autografie do tego wyrazu zrobił Mickiewicz odsyłacz (+) i tam podał nazwę tego konia: *Φερένικος*.

Kędy Pelopa Fryga osady,
Którego ty ziemiowłady
Ukochałeś Posseidonie,
Gdy młodzieńca nad kadź złotą
Ująwszy za ramię słonie
Jasnego dobyła Kloto.
O, niesłychane cuda,
Tak śmiertelney mowy treści
Nad prawdę umie obłuda
Kraśnemi oplątać wieści.

Daley lubo mam Józefa [1] notaty, niedoskonale rzecz widzę, a zatem porywać się do tłumaczenia nie mogę; naygorzey, że Józef tłumaczenia nie pisał«.

Nie będę na tem miejscu zastanawiał się, czy i o ile Mickiewicz wiernie oddał Pindara. Chodzi mi na razie tylko o zaznaczenie tak znamiennego faktu, jakim jest zwrócenie się poety polskiego do źródeł helleńskiej i rzymskiej poezyi, przyczem równocześnie działać nań zaczynają wpływy poezyi francuskiej, niemieckiej i — co najważniejsza — rodzimej, ludowej.

Ten sam arkusz grubego, żółtawego papieru, na którym Mickiewicz pisze zbiorowy list do Zana i Jeżowskiego, kończy się przekładem Ody olimpijskiej Pindara, ale zaczyna się... któżby uwierzył! zaczyna się: »Słuchaj dzieweczko! ona nie

---

τοῦ μεγασθενὴς ἐράσσατο γαιάοχος
Ποσειδᾶν, ἐπεί νιν καθαροῦ λέβητος ἔξελε Κλωθὼ
ἐλέφαντι φαίδιμον ὦμον κεκαδμένον.
ἦ θαύματα πολλά, καί πού τι καὶ βροτῶν φάτιν ὑπὲρ τὸν ἀλαθῆ λόγον
δεδαιδαλμένοι ψεύδεσι ποικίλοις ἐξαπατῶντι μῦθοι.

[1] Kowalewskiego, filareta.

słucha«... — zaczyna się pierwszym rzutem *Romantyczności!*

Tak to w owych błogosławionych latach Kowieńskiej ciszy filologia klasyczna zmagała się z nowemi powiewami poezyi nowożytnej i krzepiła swą treścią odwieczną młode orlę na wzloty niebotyczne. Z ód Pindara i Horacego wzniesie się Mickiewicz niebawem do innej wiekopomnej Ody, nazwanej pierwotnie *hymnem* do Młodości.

Rozprawa na stopień magistra miała być uwieńczeniem studyów filologicznych nauczyciela Kowieńskiego. Rozprawę łacińską Mickiewicz oddał. Niestety! W grudniu 1820 r. pisze poeta do przyjaciela, przygnębiony wiadomością o śmierci swej Matki: »Rozprawy Grodek bronić nie pozwolił, najwięcej dlatego, że były pomyłki ortograficzne!«

Mickiewicz zasmucony do głębi duszy śmiercią matki swej, przygnębiony odrzuceniem rozprawy, podrażniony zatargiem z władzą szkolną, postanowił wtedy porzucić zawód nauczycielski; byłby rad nawet do Warszawy się przenieść!

Jakże byłby się zdumiał, gdyby wtedy był np. we śnie ujrzał siebie po latach wielu na katedrze łaciny w Lozanie, »kropiącego z powagą Grodka« *de re metrica, de asse Romano* etc. Pomimo pomyłek ortograficznych w łacinie nie przyniósł Mickiewicz wstydu ani Grodkowi, ani filologii klasycznej. Urzędowe sprawozdania lozańskie Szwajcarów, nieskłonnych do pochwał banalnych, mówią z uznaniem szczerem, pełnem podziwu, o sposobie wykładów filologicznych Mickiewicza, o tem, jak objaśniał Katulla, Plauta,

Terencyusza, Horacego, Juwenala, Prudencyusza... Dziś żal tylko zbiera, że obcy podziwiali tego Mickiewicza-filologa, którego my nie znamy. Sobie przepowiedział przedewszystkiem, pisząc te prorocze wyrazy:

> A tak, gdzie się obrócisz, z każdej wydasz stopy,
> Żeś z nad Niemna, żeś Polak, mieszkaniec Europy.

Index.

Adiectae sunt XIII tabulae phototypicae.

Tab. I





Tab. I.







Tab. 11.











Tab. IV.



a



b

Tab. V.



a



b



c





Tab. VIII.






Tab. IX.





Tab. XI.





Tab. XIII.



a *b* *c*

DATE DUE			